Theol.
Opus admodum rarum.
Constat 3 f.
III, I. 309.
I, 309.
RESTICA
A 5071

Manipulus DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM

In Regiâ Academiâ Dorpatensi, quæ est in Livoniâ, congestus & publicè discussus

ab

ANDREA VIRGINIO SS. Theolog. D. & Professore Primario, nec non supremi Consistorij Adsessore.

Desine, cur numen nemo sine numine cernat, mirari, Solem quis sine Sole videt?



III 276.

DORPATI LIVONORUM,
Excudebat JACOBUS PISTORIUS, Anno 1635.

Emptor E.F. GROOT.

Est.
5756
Biblioth. Academ. Dorpat.

Hic scopus unus erit, multis prodesse, nocere nemini, amare bonos, & tolerare malos.

Bibliothecae Acad: Dorpat: d. d. K. Struve, Dr:
i 31256600

Magnifice Nobilissime Viri

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis & Consultißimis viris

Dnn. BURGGRAVIO, CONSULIBUS, SYNDICO & SENATORIBUS

Inclytæ Reipublicæ Rigensis,

Dnn. Mecænatibus & Fautoribus honorandis

Benedictionem, pacem & gratiam â Deo Patre per Jesum Christum, in Spiritu S. precor ex animi sententiâ.

QUantum utilitatis, *Viri Magnifici*, disputationes Theologicæ juventuti studiosæ afferant, satis superq; docet experientia, stultorum Magistra. Quid enim disputationes sunt aliud, quàm diversarum sententiarum collationes, quibus veritas magis magisq; eruitur, inq; lucem apertissimam profertur? Contraria namq;

juxta se posita magis eluceſcunt: quam ob cauſam in omnibus etiam ſcientijs non tantùm Ἰσότης ſedulò inculcatur, ſed eidem quoq; ἀντίθεσις, quòd ipſa ad ejus illuſtrationem quàm plurimùm faciat, non inconcinniter adjungitur; in diſciplinis quoq; practicis non tantùm virtutes, quas ſectari oportet, proponuntur, ſed & illis oppoſita vitia, quæ fugere decet, non incompoſitè explicantur: Et ne extra oleas vagemur, in Theologiâ non tantùm vera & ad ſalutē conſequendam neceſſaria doctrina traditur, ſed & falſa hæreticorum dogmata, quibus ſalus hominum intervertitur, autoritate SS. literarum ſolidè refelluntur: Quem verò in finem alium id fieri conſuevit, niſi ut veritas per antitheſin ſole illuſtrior reddatur, & ab omnibus corruptelis vindicata extra omnem prorſus controverſiam ponatur? Nam ut *Nazianzen. l. 1. de Theol.* ſcripſit: *Veritas Logicis diſputationibus eruta in lucem profertur, & ut lapiduin conflictu attrituq; ignis; ita inventis argumentis explicatuq; verum elicitur, & veluti exprimitur.* Verùm non *ad hoc* tantùm proficuæ ſunt diſputationes Theologicæ, ut veritas rerum divinarum à lumine rationis naturali longiſſimè remotarum in lucem quaſi producatur, & producta ab omnibus depravationibus vindicetur: Sed & plures hinc alij haut minoris momenti fructus ad nos redundant: Nam veritatē doctrinæ cœleſtis per anti-

antitheſin in diſputationibus illuſtratâ, nec non ab Hæreticorum φλυαρίαις ac fallacium argutiarum quisquilijs purgatâ & aſſertâ, *fideles* in verâ religione adeò confirmantur, ut ſanguinem potius cum vitâ profundere non dubitent, quàm ad apoſtaſian ſe flecti patiantur, atteſtantibus innumeris S. Martyrum exemplis: *Infidelium* etiam perquàm multi in diſputationibus Theologicis erroris convicti in rectam ſalutis viam aducuntur, & cœtui fidelium, extra quē nulla ſperanda ſalus, aggregantur, hæreſiarchis pleriſq; veritati aſſurgere, palmamq; dare nolentib9, pudore ſuffuſis, æternoq; exitio mancipatis. Cæterū quātū utilitatis etiā *Studioſi* ex diſputationibus Theologicis reportāt, id in propatulo eſſe duco: *Illi* n. quibus diſputationes Theologicæ curæ cordiq; ſunt, non modò accuratâ articulorum fidei cognitione imbuuntur, ſed etiam precioſum à vili diſcernere, ac inania hæreticorum παραλογισματα refellere diſcentes ad ſummum eruditionis Theologicæ faſtigium evehuntur: Econtra verò *illi*, qui ſe diſputationibus ejusmodi non modò ſubtrahunt, ſed aduncò etiam naſò eas ſuſpendere aſſolent, poſt carecta quaſi latitantes, ac privatis lectionibus operam ſuam unicè dantes, ἀηρείβειαι Theologicâ, ac δυνάμει adverſarios redarguendi planè deſtituuntur, quin & mataeologorum, quàm Theologorum nomen rectiùs

merentur; Quod si enim in campum disputationis cum Antagonistâ nonnunquam descendere cogantur, adeò turpiter se dant, ut veritatem eos rectiùs prodere, quàm tueri dicas, qui tamen heluones librorum præ cæteris videri volunt. Sed quid multis utilitatem disputationum Theologicarum deprædicem, cum sola *Christi & Apostolorum auctoritas* sufficiens nobis addere possit incentivũ, ad eas non solùm magnifaciendas, verùm etiam sedulò frequentandas: Ipse etenim *Christus*, in quo omnes scientiæ & sapientiæ thesauri abscondi ti fuerunt, crebriores cum sectis *Pharisæorum & Sadducæorum* instituit disputationes, quibus illos in tantas etiam redegit angustias, ut herbam ipsi porrigere haut rarò coacti fuerint, ut videre est *Johan. 3. v 2. & seqq.* c. 5. v. 41. *& seqq* c. 8. v. 12. *& seqq* c 10. v. 32 *& seqq. Matth.* 15. v. 1. *& seqq.* c. 21. v 23 *& seqq* c. 22. v 16. *& seqq.* v. 23. *& seqq.* v. 34. *& seqq Marc.* 12. v. 13. *Luc.* 20. v. 23 *Apostoli* etiam cum Judæis & gentibus acerrimos sæpenumerò sustinuerunt conflictus, *Petrus Act.* 4. v. 7. *& seqq.* c. 5. v. 28. *& seqq. Paulus* c. 13. v 45. c. 17. v. 18 *& seqq.* c. 22 v. 1. *& seqq.* Quibus accedit, quod δύναμις τῆς ἀνελέγχου arguendi, quæ, gratiâ Dei adjuvante, non nisi frequenti disputationum exercitiò comparatur, in Episcoporum ac Theologorum partibus officij primas teneat, *teste Apostolo Tit.* 1. v. 9. *Verùm* quanta quanta etiam sit disputationum

tionum Theologicarum utilitas ac necessitas, non carent tamen suis osoribus & obtrectatoribus, inter quos cumprimis familiam ducunt, qui tàm præclarâ δυνάμει vel non sunt instructi, vel tantâ eruditione non pollent, ut in publicum prodire audeant, juxta tritum istud: *Ars non habet osorem, nisi ignorantem.* Ne autem *tales* à quoquam existimentur, ignorantiam & obtrectationes suas egregiè palliare didicerunt, oggerentes, disputationes Theologicas nil nisi mera dissidia & contentiones parere, quas D. *Apost.* summò vult studiò vitari *Tit.* 3. v. 9. Verumenimverò inter contentiones & disputationes Sacras magnum intercedit discrimen, quod sugillatores illi vel inscij vel datâ operâ, attamen incassùm evertere ac tollere laborant: *Illæ* enim non nisi victoriam; *hæ* tantùm veritatem quærunt: *Illæ* sæpenumerò schisma faciunt inter ejusdem fidei socios; *hæ* dissensiones quidem pariunt, sed ab hæreticis: Dissidia autem cum hæreticis habere non est contentionis, sed pietatis, inquit *Chrysostomus*: *Illæ* ab Apostolò seriò sunt prohibitæ; *hæ* in Ecclesiâ utiliter retinentur, quod vix ulla detur melior ad indagandam veritatem via, quàm hujusmodi sententiarum collation

de doctrinâ Christ

genera quæ

dissolv

vixendi, & puerilis quædam ostentatio adversarium decipiendi. Ne autem disputationes Theologicæ definitos limites transiliant, nec in odiosas degenerent contentiones, *certarum regularum* cancellis, intra quos se Disputatores contineant, à Doctoribus Ecclesiæ includuntur: Est autem regularum istarum *prima*: In disputationibus Sacris sine Scripturarum divinarum autoritate nihil est asserendum: Sola enim Scriptura est norma controversiarum fidei, cum quâ quod non congruit, eâdem facilitate rejicitur, quâ asseritur. *Secunda*: Disputator preciosum à vili discernere sciat h. e. sententiam veram in suis fundamentis rectè intelligat, ac opiniones falsas probè teneat, ne quid Adversario affingat. *Tertia*: In quæstionibus dubijs, quæ in Scripturis expressè definitæ non sunt, suspendendum potius judicium, quàm temerè quid statuendum. *Quarta*: Argumenta rationis non nisi parcè afferantur, & postquam sententia jam satis ex Scripturis corroborata est, vel ex abundanti, & in Adversariorum majorem confusionem, ut ijsdem, quibus pugnarunt, armis prosternantur. *Quinta*: Contra hostes veritatis cum severitate defendenda est veritas. *Sexta*: Ad disputationes sacras afferendus est ani-

[illegible] remotis omni-

[illegible] quæstioni-

[illegible] nem non

[illegible] bent.

habent. *Septima*: Etsi sine syllogistica collectione disputare nemo potest; non tamen opus est semper explicitis syllogismis: Sæpe enim ad convincendum adversarium simplex Scripturæ dictum sufficit. Quòd si in omnibus expliciti exigantur syllogismi, contentiones potius emergunt de notionibus Logicis, quàm disputationes utiles de rebus Theologicis. *Octava*: Disputantes simplici dicendi genere utantur, ne, dum veritatem verbis nimiùm ornent, per verba veritatem amittant. *Nona*: In disputando non quæratur victoria, sed veritas. Ad normam præscriptarum regularum collationibus sententiarum exactis & peractis, studium pro veritate certandi tantùm abest à contentionis vitio, ut potius homines dissentientes pacis vinculò connectat, ut *August. l. 4 contra Crescon. grammat. c. 3.* scribit. Ad istarum regularum amussim & *Ego*, quod absq; jactantiâ dictum volo, disputationes meas Theologicas, quarum *quadraginta quinq.*, annumeris duabus istis, quas, *me Præside & Decano, Reverendi & Clarissimi Viri Dn. Georgius Mancelius & Dn. Petrus Goetschenius*, Uterq; SS. Theol. Licent & Profess. *Ille* Ordinarius, & Supremi Consistorij Adsessor, nec non Ecclesiæ Dorpatensis Pastor primarius; *hic* extraordinarius & Græcæ linguæ Ordinarius, publicæ censuræ ac ventilationi subjecerunt *intra triennium* publicè discutiendas proposui, ra-

tione circumstantiarum habitâ, quoad ejus fieri potuit, exegi, ijsq; per omnia conformare studui. Ex illis nunc *Octodecim* in unum volumen redactas sub *Amplissimi Vestri nominis fulgore, Viri Magnifici & Nobilissimi*, in lucem emitto, tempore forsan minùs oportunô, ubi qui ad clavum Rerumpubl, sedent, legendis & pervolvendis illis fortè minùs vacare possunt. Sed quemadmodum *Diogenes*, cum in summâ urbis trepidatione cunctos ad arma confugere, proq; patriâ pugnam capessere animadverteret, ipse quoq; in dolio suo sese agitabat, ne solus in tantâ omnium sollicitudine otiari, adeoq; nihil agere videretur; ita in hac periculosâ patriæ ac Reipublicæ vestræ inclutæ turbatione, dum hostis canit classicum, & omnia perstrepunt armis, ego quoq; dolium meum volvere, atq; ex armamentario Spiritûs S. spiritualis militiæ arma in apricum producere volui. Vobis autem *Mecænates amplissimi*, debetur hic meus qualiscunq; labor, qui tantâ polletis autoritate, ut contra virtutũ sandapilarios & bonæ mentis tortores eum tueri possitis; eaq; pietate pariter, ac humanitate, ergaq; S. literarum cultores amore, ut velitis: Vos militiæ Christianæ strategi estis fortissimi, quorum nutu terra hæc Livonum de Crabronibus Pontificijs religionem orthodoxã infestantibus victoriam sibi audet spondere, & qui mea quoq; ad vos non rediret militia? Vos estis,

estis, quos in istô honoris fastigio, in isto bonorum æstimio, in istâ nominis celebritate rarus Dei favor & virtus vestra eximia collocavit, ut neminem non meliori lutô satum ultrò vobis devinciatis utrôq; cultu & amoris & honoris: Vos estis præfulgida illa poli *Livonici* sydera, quibus hæc terra collustratur, & quæ ut Helicen & Arcton omnes intuentur, & illorum radijs ego quoq; nõ incalescerem? Vestra in me benevolentia omnino dignissima est, quæ posteritati cum honoris præfatione perpetuâ se commendet, nullis unquam temporum ætatibus expungenda: in vestrâ deniq; incolumitate fiduciam concipio cum pietate & literis duraturi *floris, honoris & felicitatis*. Accipite ergo hanc meam qualemcunq; propensæ in vos voluntatis ac devotæ mentis significationem, nec quicquam dubitate, quin à studiosissimo nominis vestri cultore proficiscatur, qui præter preces & observantiam nihil habet, quô de vobis benè mereatur: Illa verò ne ullo tempore deficiant, indefessô annitetur studiô. Sic valete, *Mecænates Optimi*, & mihi porro favere non desistite. Ex meo Φροντιστηρίῳ Dorpatano, die Ascensionis Dominicæ, Anno 1635.

N. & A. V. M.

Observantissimus

ANDREAS VIRGINIUS Nobil. Pom. Hæreditarius in Schweßten/ SS. Theol. D. & Profess. primarius, ut & Consistorij supremi Adsessor.

Index geminus
Prior *continens nomina Respondentium.*

1. Jacobus Langstadius Erffurtensis.
2. Petrus Cornerus Gothus, Pastor Castrensis.
3. M. Nicolaus L. Nycopensis Svecus.
4. M. Petrus Turdinus Both.
5. Claudius Johannes Thesseleſius Wib. Car.
6. Jacobus Langstadius Erffurt.
7. Nicolaus Olai Calmariâ-Svec. Phil Candid.
8. M. Heinricus Boismannus Wiburgo-Carel.
9. Christiernus Eccardus Quedlinburg Saxo.
10. M. Nicolaus Laurentij Nycopensis Suecus.
11. M. Christiernus Olængius Suecus.
12. Jacobus Langstadius Erffurt.
13. Petrus Anundi Calmariensis, de textu priori.
    M. Magnus Paulinus Suecus, de textu posteriori.
14. Martinus PetriGelæus Medelpadiâ-Svecus.
15. M. Sueno Bernhardi Junepolino-Svecus.
16. Nicolaus Olai Calmariensis, Philos. Cand.
17. Petrus Anundi Calmariensis.
18. Benedictus B. Brusæus Smoland. Svecus.

Index

Index *posterior*
Continens seriem Disputationum.

1. *De Universali Hominum ad Salutem æternam vocatione.*
2. *De Filij Dei incarnatione*, ex dicto ad Gal. 4. v. 4. 5.
3. *De duabus in personâ Christi naturis.*
4. *De personali duarum in Christo naturarum unione.*
5. *De Communicatione idiomatum in Christo.*
6. *De tergemino Christi officio.*
7. *De gemino statu Christi, exinanitionis & exaltationis* ex Philipp. 2. v. 6, 7, 8.
8. *De miraculosâ & salutiferâ Servatoris nostri conceptione & nativitate.*
9. *De hypocritico, hæretico & superstitioso Papistarum jejunio.*
10. *De cruentâ passione & morte Christi.*
11. *De passione & resuscitatione Christi* ex 1. Pet. 3. v. 18, 19, 20.
12. *De gloriosâ & salutiferâ triumphatoris nostri J. C. resurrectione.*
13. *De ascensione & Exaltatione Christi* ex c. 4. v. 8. 9, 10. Epist. ad Ephes. & Ps. 110. v. 1, 2.
14. *De Spiritu S.* ex Johan. c. 15. v. 26.
15. *De mysterio SS. Trinitatis* ex 1. Joh. 5. v. 7.
16. *De Universali merito Christi.*
17. *De Justificatione Evangelicâ.*
18. *De æternâ prædestinatione.*

19. Disp-

NB. 1. Singulis ferè disputationibus selectiora subjecti Corollaria, quibus difficiliora partim S. Scripturæ dicta enodantur, partim quæstiones quædam arduæ explicantur, quæ diligens Lector investigare non gravabitur.

2. σφάλματα Typographica si quæ alicubi occurrant, ipse Lector etiam benevolus corrigat, peramanter rogo.

IN

Reverendi admodùm, Nobilis, atq; Excellentissimi Theologi

Dn.

ANDREÆ VIRGINII

hæreditarij in Schweßien/ SS. Theol. D. & Profess. primarij, nec non Proto-synedrij Adsessoris, &c. Amici, Collegæ & fratris sui in Christô medullitus amandi,

THEOLOGICAS DISPUTATIONES,

EPIGRAMMA.

NOn temerè, ANDREA, impositum tibi *nomen ab ipsâ, fortius à* forti *(credo) fuisse, VIRO.*

Scilicet ut gladius tibi sint sacra dogmata Verbi, atq; vibres labijs tela sacrata tuis.

Nec temerè impositum purâ *cognomen ab ipsâ VIRGINE, quæ nullum corpore tacta virum.*

Scilicet ut jactes munus nomenq; JEHOVÆ, & solum CHRISTUM non simulanter ames.

Hoc facit: hoc doctæ testantur, amice, *palæstræ, quas scio TE nostris suppeditâsse LIVIS.*

Non itaq; ANDREÆ forti *caret* omine *nomen;* mascula *nam* virtus *TE decet esse VIRUM.*

Nec quoq; VIRGINII purô *caret* omine *nomen:* *illustras etenim* dogmata pura *DEI.*

Perge aperire dolos, queis tetræ filia noctis, HÆRESIS, incautos in Phlegetonta trahit.

Perge piè & doctè à falsô discernere verum, vera DEI ut laus hinc, vestraq; fama fiet.

Perge, inquam, à tenebris claram discernere lucem, Luceat & clarum nomen ut usq; tuum.

ζν. ζν. scripsit

GEORGIUS MANCELIUS SS. Theol. Licent. & Professor. Ordin. Supremi Consistorij Adsessor, & ad D. Johan. Pastor primarius, districtûsq; Dorpat. Præpositus, p. t. Academiæ Pro-Rector.

Aliud ejusdem autoris.

TUnè VIRUM præstas te, Excellentissime Doctor?

Immô VIRUM: loquitur publica fama DEI.

Mactè VIR ingeniô & studiô solerte, fidelis in DOMINI præstans, serve reperte, domô.

Inter

Inter ut insultûs varios pugnasq; frequentes,
de victô, palmam victor, ab Hoste feras.
O tam si faveat Numen cœleste precanti,
VIRGINIUM ut maneant Sethia sæcla meû!

EN! novus Arctois oritur nunc Phosphorus ortu,
Et nova diffundunt sydera ab axe jubar.
Cedite vos tenebræ; lux orta est: cedite agrestes
Divæ; Livoni dant Helicona novum.
Eusebies, Themidos, Sophiæq; sacraria pandunt
Ingeniis prompti consiliisq; Viri.
Inter quos primum nomenq; decusq; meretur
VIRGINIUS, nova quem structa Lycea stupent.
Disputat, à vero falsum secernit, acutè
Explicat, Hæretico quæ implicuisse placet.
Hæc sat id ostendunt, quæ publicus excipit usus,
Dogmata perdoctâ nempe polita manu.
Sit felix, valeat, surgenti magna Lyceo
Incrementa suis nisibus hîsce paret.
Vos hinc Peibææ Nymphæ, ac Embecciades q;
Najades egregium suspicitote Virum.
Vos quoq;, quæ DERPTÆ miratur, Lumina, Pubes,
Fidò collegæ, quæso, favete diu.

JOACHIMUS BURCHARDI
Dicasterij Wolgastani Consil.

DISPU-

I.

DISPUTATIO I.

De

UNIVERSALI HOMINUM AD SALUTEM ÆTERNAM VOCATIONE.

In Solenni Inaugurationis Regiæ Academiæ Dorpatensis festivitate 15. *Octobr. Anno* 1632. *celebratâ.*

Respondente JACOBO LANGSTADIO Erffurdia-Thuring.

Προοίμιον.

Θέσις I.

INsignis admodum extat *de promulgatione Evangelii Universali* in Epist. ad *Roman.* c. 10. v. 18. Sententia ex *Ps.* 19. v. 4. ab Apostolo huc translata, quæ talis: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

II. De promulgatione, *inquam*, Evange-

angelij Universali Apostolum hunc textum allegatum intellexisse nemini profectò dubium esse potest. Agit namq; eò in locò de medio & organo fidei consequendæ, atq; ex antecedentibus tandem *v.* 17. concludit, fidem esse ex præconio & auditu verbi divini: Ne quis verò se excusare possit, quasi verbum non audierit, statim *v.* 18. præoccupationem subjicit, ostendendo, non Dei sed ipsorum hominum culpam esse, quod non audierint, adeoq; neminem ignorantiam suam prætendere posse: Rationem *v.* 19. addit ex *Psal.* 19. v. 4. depromptam: *quinimò*, inquiens, *in omnem terram exivit sonus eorum*, &c.

III. Per relativum ergo (*eorum*) i. q. digitò indice monstrantur ipsi Apostoli, quos Christus doctrinam Evangelij annunciatum jussit egredi in universum mundum *Marc.* 16. v. 15. cujus mandato postmodùm fideles quoq; præstiterunt obsequium *v.* 20. adeò ut D. Apostolus non dubitet affir-

affirmare, Evangelium prædicatum esse *universa Creatura, quæ sub cœlo est. Col.* 1. *v.* 23.

IV. 2. Per *sonum & verba eorum* intelligitur ipsa doctrina Evangelij, quę præconiò Apostolorum per omnem terrarum orbem clarissimæ tubæ instar sonuit, dicta ab Apostolo, vestigia LXX. interpretum insecutò, φθογγος. h. e. vox & litera vocalis, ad denotandum *modum & medium*, quò usi sunt Apostoli in doctrinâ Evangelij propagandâ: Quod enim dogma primùm *vivâ voce* tradiderunt, id postmodùm in *literas* redactum Ecclesiæ Dei pretiosissimi thesauri locò reliquerunt.

V. In fontibus Hebræis extat nomen קָו h. l. cum affixo dagessatum קַוָּם quod descendit à radice קָוָה h. e. incumbendo expectavit, præstolatus est, incubuit; atq; inde significat lineam, regulam, Canonem, vel amussim, cui in extruēdis ædificijs incumbunt, vel quam diligenter observant fabri lignarij, & cæmentarij.

VI. Per *metaphoram* verò hîc tribuitur doctrinæ Evangelicæ, ministeriô Prophetarum & Apostolorum nobis revelatæ, quippe cujus ad normam & censum domus Spiritualis Ecclesiæ 1. *Cor.* 3. v. 9. *Hebr.* 3. v. 6. erigitur, omniaque dogmata fidei exiguntur, atq; examinantur, adeò ut quod cum S. Scripturâ Propheticâ & Apostolicâ verè consonat, ceu verum tantùm sit recipiendum; quod verò ab eâ vel ex toto vel ex parte dissonat, ceu falsum omninò rejiciendum; confer hîc loca 2. *Cor.* 10. v. 13. *Gal.* 6. v. 6. *Philip.* 3. v. 16.

VII. 3. Per *omnem terram* intelliguntur omnes plagæ orbis terrarum, Asia, Africa, Europa, America: Per *fines* verò *orbis terrarum* Insulæ maris designãtur, ut sit sensus: *Evangelium non tantum nobiliores omnium partium terræ regiones & urbes, sed cunctos insuper angulos mundi quoq; personuit, Marc.* 16. v. 20. *Col.* 1. v. 23.

IIX. Quæritur autem non immeritò, *an singuli Apostoli omnia in Universum loca terrarum juxta mandatum Christi Matt.* 28. *v.* 19. *Marc.* 16. *v.* 15. *adierint?* Resp. quod non: Ad id enim mandatum Christi ipsos non obstrinxit: Omnes quidem Apostoli *conjunctim* considerati mandatum & potestatem acceperunt *ubiq;* terrarum h. e. per totum orbem prædicandi, quod etiam postea fecerunt, dum orbem terrarum inter sese distribuerunt, quô de consulas *Niceph. l.* 2. *c.* 1. cum quô consentit etiam *Ruffin. l.* 1. *hist. Eccl. c.* 9. Singuli verò *seorsim* considerati mandatum & potestatem acceperunt *ubicunq;* terrarum h. e. in quêcunq; terræ locum venerint, prædicandi: Vocatio enim illorum nulli locorum erat adstricta.

IX. Cæterùm cum à præconio verbi Catholicô dependeat *Universalitas vocationis*, de hàc quoq; occasio differendi nobis præbetur, cumprimis, quod *præsenti actui*, quô nova Academia hisce in oris Arctois *verbi divini*

docendi, longè latèq; disseminandi, & ad seram usq; posteritatem propagandi gratiâ, autoritate ac munificentiâ Regiâ recens fundata, nunc solenniter, *quod fausto, precor, sydere fiat*, inauguratur, apprimè conveniens appositaq; videatur.

X. Ut autem hoc thema certis includatur cancellis, ἐν βραχεῖ id ἁπλῶς solummodò perstringam 1. κατάστασιν formando. 2. κατασκευὴν adornando h. e. sententiam orthodoxorum confirmando.

κατάστασις vel quæstio.

XI. Sententia omnium Orthodoxorum, *cui & nos ore & corde subscribimus*, de vocatione hominum ad salutem hæc est, quod vocatio ista sit *per se* & *respectu intentionis Dei* Universalis atq; efficax.

XII. Priusquam verò ad confirmationem hujus sententiæ progressum faciamus, prælibandæ veniunt nonnullæ distinctiones, propositæ quæstioni haut exiguum lucis afferentes

rentes. Et 1. quidem observationem meretur distinctio *inter vocationem ipsam, & vocationis modum atq; ordinem*: De *vocatione ipsâ* quæstio proposita est intelligenda: Vocatio enim ipsa *ex se & suâ naturâ* est Universalis, ad omnes in Universum homines indifferenter se extendens.

XIII. Vocatur autem *Universalis*, 1. & quidem *potissimum* ratione *intentionis DEI*, quâ vult, ut omnes, nullô excluso, veniant, & verbum audiant: Principalis enim status in hac quæstione consistit: *Vtrum vocatio sit Vniversalis ex intentione DEI* h. e. utrum Deus gratiam suam omnibus in Universum hominibus offerre, adeoq; omnes indifferenter ad salutem vocare constituerit? 2. *ratione mandati*: nam & hoc in quæstionem venit, *num Deus etiam præceperit verbum suum in toto orbe annunciari?* 3. ratione *promissionis*: siquidem & de hac quæstio solet moveri, *num Deus etiam* [illegible] *favorem & misericordiam*

ipsius præconij, quod itidem quæstionē paritmaximâ difficultate intricatam, *num etiam præconium verbi ad omnes homines pertingat*? Singulæ verò hæ quæstiones *partim* in *καταφατικῇ* sententiæ veræ, *partim* in publicâ *ἀναφατικῇ* sentētiæ falsæ enodabuntur & resolventur.

XIV. Interim verò non negamus, vocationem in eventu sæpissimè fieri *particularem*, non ex *odio Dei, sed culpâ hominum*; atq; sic *ex accidenti*, & quidem *duplici* ratione 1. quatenus culpâ majorum amissum verbum non semper actu prædicatur ubiq;, quod tamen ubiq; prædicari Dominus voluit. 2. quatenus ijs etiam in locis, ubi annunciatur verbum Dei, quidam Epicuræo contemtu id aspernantur, & furiosè à se repellunt, adeoq; regnō Dei se indignos faciunt *Act.* 13. v. 46.

XV. Porro *modum* atq; *ordinem vocationis* quod attinet, is plurimum variatur: Alius enim 1. est *specialis*, *apertus*, *directus*, *illustris*, & *manifestus*, eumquè vicissim *ordinariū* & *extraordinarium*

rium distinguimus: *Extraordinarius* est, cum quis immediatè *vel* per ipsā Dei vocem, *vel* per insigne quoddam miraculum ad lucem Evangelij convertitur: qualis fuit conversio Sauli, *Act.* 9. v. 5. *& seqq.* *Ordinarius*, cum homines per externum & visibile verbi ministerium vocantur.

XVI. 2. Alius est *generalis*, *obscurus*, *atq; implicitus vel indirectus*, ad quem spectant *quatuor* Universales pœnitentiæ præcones, quibus Ethnici ad inquisitionem veritatis invitantur, quales sunt 1. *notitia Dei naturalis* in visibilibus mundi operibus propositā Rom. 1. v. 19. 20. 21. 2 *propria conscientia*, quæ intus dictitat hominibus, esse numen & vim divinā, quæ omnia contueatur, & pœnā repetat improbitatis Rō. 2. v. 15. 3. *Celebritas Ecclesiæ*, quā Deus in celebri loco collocavit, ut exinde fama de Deo omnibus innotescere posset. 4. *Exempla eorum*, qui ex gentilitate ad veram Ecclesiā conversi sunt *Act.* 2. v. 5. Quæ exēpla nihil sunt aliud, quā veri

concionatores, quibus ad Ecclesiam verâ vocantur gentiles extra Ecclesiæ pomœria degentes.

XVII. Quamvis igitur Deus non fecerit taliter omni nationi *Psal.* 147. v. 20. h. e. non *eô modô* concrediderit verbum suum gentibus, *quomodo* Israelitis fuit creditum *Rom.* 3. v. 2. c. 9. v. 4. tamen gentiles à cognitione verbi & Ecclesiæ aditu nequaqam *simpliciter* exclusit.

XIIX. II. Consideranda est vocatio bifariam 1. *per se & respectu Dei vocantis* 2. *per accidens & respectu hominum vocatorum*, quorum *aliqui* vocationem Dei gratô animô amplectuntur, *aliqui* verô eandem malitiosô animô aspernãtur: *priori* modô vocatio hominum semper est efficax; sed *posteriori*, nimirum respectu infidelium vocatio ista efficaciâ suâ, quam Deus intendit, haut rarô privatur; & sic *per accidens* inefficax redditur, quod tamen efficaciæ ipsius *in se & ex parte Dei* consideratæ nihil derogat.

XIX. Ex

XIX. Ex præmissis jam sponte suâ fluit *genuinus & proprius quæstionis propositæ sensus*, nempè quod omnes in universum homines, nullô discrimine habitô, seriô & *ex parte Dei* efficaciter ad salutem æternam vocentur. Sequitur κατασκευή, Thematis propositi Confirmatio.

XX. Veritas hujus sententiæ demonstratur 1. authoritate Divinâ, Propheticâ & Apostolicâ. 2. rationibus ex sacris literis depromtis. 3. Patrum primitivæ Ecclesiæ testimoniis.

XXI. Et 1. quidem in aciem q. pugnæ collocamus *autoritatem divinam Propheticam & Apostolicam*, quâ non tãtum *in genere* astruitur vocatio *omnium hominum*, sed etiam *in specie reproborum ac pereuntium*: De *illâ* in medium producimus testimonia, (1.) *Esa.* 55. *v.* 1. (2.) *Matth.* 11. *v.* 28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: Jam verô omnes ad unum omninô pondere peccatorum pressi & onerati sunt: Ergo vult Christus, ut omnes

quoq;

quoq; hanc miseriâ suam agnoscant, & animæ requiem apud se quærant.

XXII. (3.) *Marci* 16. v. 15. Prædicate Evangelium omni creaturæ sc. prædicationis capaci, hoc est, omnibus hominibus in terrâ viventibus: Homo enim respectu cæterorum animantium in terris degentiũ κατ' ἐξοχὴν vel per excellentiam vocatur creatura.

XXIII. (4.) *Act.* 17. v. 30. Nunc annuntiat Deus hominibus, ut omnes ubiq; resipiscant: Ubi nota terminũ *indefinitum* (*hominibus*) duabus universalibus particulis (πᾶσι πανταχῆ) extẽdi, & conjunge v. 32. qui pronuntiati hujus ἀλλοιολογίαν nobis subministrat, atq; sic collige: *Quoscunq; Deus iudicaturus est in extremo die, iis annuntiat verbum, ut pœnitentiam agant: sed omnes homines iudicaturus est in extremo die, teste scripturâ. Ergo.*

XXIV. (5.) 2. *Pet.* 3. v. 9. Deus nõ vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti: Ubi observetur ἀντίθεσις

θεσις *negationis*, & *affirmationis*, & singulari asterisco notetur, quod major vis insit negationi, quã affirmationi, cum *hæc* quidem omnia *summatim* colligat; *illa* verò *universaliter collecta* distribuat. Conjunge his *Matth.* c. 28. v. 19. *Luc* 24 v. 47. *Coloss.* 1. v. 28.

XXV. De *hac* passim locorum extant luculenta S. literarum testimonia. *Prov.* 1. v. 24. *Esa.* 26. v. 10. c. 55. v. 6. 7. c. 65. v. 2. 12. c. 66. v. 4. *Ier.* 7. v. 13, 14. 25. 26. *Ezech.* 33. v. 11. *Ioel.* 2. v. 12. *Zach.* 1. v. 3. *Matth.* 3. v. 8. Johannes Baptista *impios* sic alloquitur: Facite fructus dignos pœnitentiâ It. c. 23. v. 37. *Luc.* 7. v. 30. Pharisæi dicuntur spreviisse consilium Dei non baptisati à Johanne: Quodnã verò erat istud consilium? Utiq; hoc ipsum, quod Deus per concionem & baptismum Johannis eos voluerit vocare ad pœnitentiam & ad regnũ Messiæ. *Luc.* 14. v. 17. 18. invitantur etiam venire *recusantes.*

XXVI. Cum ergo ex dictis his omni-

innibo sole meridiano clarius elucescat, Deum non tantùm omnes homines *in genere*, sed etiam impios & infideles *in specie* seriò vocare ad pœnitẽtiam, utiq; nemo nisi planè cæcutiens vel mentis ἀφασία laborans vocationis universalitatem ibit negatum.

XXVII. II. Pro nostrâ sententiâ stabuminandâ in proscenium quoq; adducimus *rationes* haut levioris armaturæ, quippe ex ipsis fontibus Israelis haustas: & 1. quidem hunc in modum argumentamur. *Ad quos spectant promissiones, ad eos quoq; pertinet vocatio. Act. 2. v. 29. Atqui ad omnes in universum homines spectant promissiones. 1. Tim. 1. v. 5. c. 2. v. 6. 1. Joh. 2. v. 2. Matth. 11. v. 28. Luc. 24. v. 47. &c. Ergo ad eos quoq; pertinet vocatio.*

XXIIX. 2. *Si Deus foris omnibus hominibus offerret gratiam, intùs autem decerneret, se nolle cunctos ejusdem fieri participes, non immeritò hypocriseos, ac perfidæ simulationis argui posset, quod deluderet homines, vocando omnes & singulos ad gratiam suam amplectendam, quorum tamen plurimos à gratiæ ipsius participatione vellet exclusos.* quod etiam *Ursinus part. 2. explicat. Catechet.* fateri cogitur, *inquiens*: Qui omnes vocat, nec tamen vult omnes ad se venire, aut ad se venientes servare, is simulare, ludere & imponere dicendus est. At *consequens est absurdum in Theologiâ & cum blasphemiâ conjunctum: Non enim est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec filius hominis, ut pœniteat eum: Dixit ergo & non faciet? locutus est, & non implebit? Num. 23. v. 19. Ergo & antecedens.*

XXIX. 3. *Qui damnantur propter contemtum vocationis divinæ, ad eos verè quoq; spectat ista vocatio:* nam quoscunq; gratia vocationis non attinet, illi nequeunt eam contemnere vel abjicere, & contra. *Atqui impii & infideles damnantur propter contemtum vocationis divinæ. Luc. 14. v. 24.* confer & reliqua loca supra θ 16. allegata. *Ergo ad impios & infideles verè quoq; spectat ista vocatio.*

XXX. 4. *Si*

XXX. 4. *Si vocatio ad paucos esset restricta, ad paucos quoq; reconciliationis promissio pertineret; si hoc, consolatio peccatorum esset incerta*: Semper enim in ambiguo hæsurus esset animus, num ad se quoq; promissio pertineret, quoniam ad paucos restricta perhibetur; *Sed consequens est falsum*: aliàs enim desperationi, cui Spiritus S. in S. literis omnes rimas obstruere annititur *Rom.* 15. v. 1. c. 5. v. 20. bipatens fenestra aperiretur, *Ergo & antecedens.*

XXXI. 5. *Qui credunt, ad illos reverà pertinent vocatio & promissiones divinæ: At multi æternæ damnationi adjudicati aliquando crediderunt*, quòd probatur exemplis 1. *peccatorum in Spiritum S.* quos damnationi adjudicari, licèt aliquando verâ in Christum fide imbuti fuerint, testatur *autor Epist. ad Hebr.* 6. v. 4. *& seqq.* c. 10. v. 26. *& seqq.* 2. τῶν προσκαίρων, h. e. ad tempus credentiũ atq; tempore tentationis recedentiũ *Luc.* 8. v. 13. Notetur vocabulum *recedendi*, quod arguit veram & non simulatam

latam in ipsis fuisse fidem; aliàs dici non posset, quod recederent. 3. *Judæ*, qui aliquando credidit, atq; nihilominus factus est æternæ damnationis reus, teste Christo *Joh.* 17. v. 2. ex quo loco ita argumentamur: *Si Judas periit ex grege Christi, certè antequam periret, gregi Christi annumeratus fuit, & per conseq. verè in Christum credidit.* Si enim nunquam credidisset, nunquam etiam gregi fidelium annumeratus fuisset; Si hoc, quomodo ex eo periisse diceretur? *Sed prius verum*, testante Christo d.l. *Ergo & posterius*, 4. *Omnium infantum* in gremio Ecclesiæ natorum, qui per baptismum quidem efficaciter vocantur & regenerantur, multi tamen, cum ad ætatem pervenerint, vicissim resiliunt & æternùm pereunt, *teste experientiâ omnium fultorum Magistrâ.* 5. referri etiam huc potest exemplum, *Simonis Magi Act.* 8. v. 13. qui dicitur credidisse in Christum; & tamen postea non erubescebat donum effundendi Spiritum S. pecuniâ

emere. Sic ergo *Minore* satis superq; probatâ concludimus, *quod ad multos aeternæ damnationi adjudicatos reverà pertineant vocatio & promissiones divinæ.*

XXXII. III. Suffulcitur hæc sententia autoritate Patrũ: Ita enim 1. *Clemens Alexandrinus in Orat. exhort. ad gentes*: Audite, *inquit*, qui estis longè, audite, qui propè, nullis celatum est verbum, lux est communis, omnibus illucescit hominibus, nullus est in verbo Cimmerius. 2. *Ambrosius l. 1. de vocat gent. c. 2.* Quamvis Scriptura pronunciet, Israeliticum populum Deum sibi in peculium elegisse; secundùm ipsam tamen credimus, & piissimè cõfitemur, quod nunquam universitati hominum Divinæ providentiæ cura defuerit, quæ licèt exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit, ut Prophetica voces & præcepta legalia convincerentur in elemẽtorum obsequiis ac testimonijs accepisse

pisse, unde & inexcusabiles facti sunt, quia Deos sibi dona Dei fecerunt, & quæ creata erant ad utendum, venerati sunt ad colendum: plura his similia, vel etiam evidentiora *vide l. 2. c. 12. 10. 3. Eusebius l. 1. de præparat. Evang.* Salutarem hominum ad Deum conversionem & amicitiam ab omnipotenti Deo missus Deus Verbum cunctis annunciat: Non hinc, aut aliunde, sed cunctis ex gentibus Græcos & Barbaros, omnem sexum, omnem ætatem, divites & pauperes, sapientes & insipientes, liberos & servos magnâ voce convocat, hortaturq; omni studiò, ut hoc bonum suscipiamus.

XXXIII. Nunc tandem, tribus hisce fundamentis sententiæ nostræ benè positis, receptui canimus, ἀνυπόστατον Adversariorum, publico conflictui reservantes, Deoq; humilimè supplicantes, ut Academiæ hujus Regiæ auspicium felicitet, incrementum prosperius indies faciat, eamq; in perpetuo flore & vigore ad consummatio-

nem usq; seculi benignè conservet, propter nominis sui gloriam, Amen.

DISPUTATIO II.

De FILII DEI INCARNATIONE

Ex dicto Apostolico

Gal. 4. v. 4, 5.

Respondente PETRO CORNERO Gotho, Pastore Castrensi.

TEXTVS Gal. 4. v. 4, 5.

Ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, γενόμενον ἐκ γυναικὸς, γενόμενον ὑπὸ νόμον, ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ, ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν.

AT quando venit plenitudo temporis, emisit DEus Filium suum factum ex muliere, factum sub legem, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

DISPOSITIO.

PArtes hujus dicti sunt *duæ*: In *priori* agitur de Christi personâ: In *posteriori* explicatur Christi officium, ac geminum inde resultans beneficium. In *personâ Christi* 1. demonstratur *divina ipsius natura*, verbis maximè perspicuis: *Emisit Deus Filium suum* 2. Probatur etiam *humana ipsius natura* (*a*) temporis incarnationis notatione: *Vbi venit plenitudo temporis*: (*b*) modi illius descriptione: emisit Deus Filium suum, *factum ex muliere*.

In *alterâ* parte notatur 1. Synecdochicè Christi *officium*, verbis subseqq. *factum sub lege*. 2. inculcatur *geminum Christi beneficium*, ex officio ipsius in nos redundans, quorum *prius*, docendi gratiâ, haut inconcinnè vocatur *privativum*, quod nomine *redemptionis* venit, seqq. verbis expressum: *Vt eos, qui sub lege erant, redimeret*: *alterum* ve-

τὸ *positivum*, quod *adoptionū* nomine comprehensum effertur hisce verbis: *Vt adoptionem filiorum reciperemus.*

SCHOLIA.

1. Particula, δὲ, *at*, notat *in genere* Orationis continuationem, & h. l. *in specie* de Christi personâ atq; officiô dicendi occasionem. In *præcedentibus* enim versiculis agit Apostolus de servitute legali, cui Patres V. T. erant subjecti, licèt essent hæredes omnium beneficiorum Christi: *Dico autem*, inquit, v. 1. & 2. *quantô tempore hæres parvulus* (in græco, νήπιος) *est, nihil differt à servo, cùm sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est, usq; ad præfinitum tempus à Patre: Ita & nos*, v. 3. *cum parvuli essemus, sub elementis mundi eramus servientes.*

2. Comparantur hîc Patres V. T. cum pupillis, sub potestate tutorum viventibus, *triplici* potissimùm modô. 1. *Sicut* pupilli non sunt sui juris, sed potestati tutorum subjecti, non minus, ac servi suis Dominis. *Ita* quoq; Patres V. T. legum ceremonialium ac forensium (de *his* enim πρώτως loquitur Apostolus in hac comparatione, ut patet ex v. 23. Capit. præced. & Colos. 2. v. 20.) imperio & directioni subjecti, & ad observationes illarum præcisè adstricti erant. 2. *Sicut* pupilli hæredes quidem sunt omnium bonorum paternorum, eorumq; usum fructum operâ tutorum percipiunt, ipsa tamen bona nondum plenariè possident, nec pro lubitu suô ea administrant: *Ita* Patres quoq; V. T. hæredes quidem erant omnium beneficiorū, quæ Deus populo suo per Christum promisit, eaq; fide percipiebant æquè ac nos *Act.* 15. v. 11. non autem ipsum Christum habebant θεάνθρωπον: umbra aderat, non corpus, *Heb.* 10. v. 1. 3. *Sicut* pupilli spem libertatis consequendæ habent, & quando tempus tutoribus definitum præterijt, ipsô quoq; actu emancipantur; *ita* Patres quoq; V. T. à servitute legali sunt liberа-

berati, quando Christus suô in carnem adventu observationes illas abrogavit, idq; factum in N. T. de quo Apostolus insignem instituit διάξοδον v. 4. & 5. seqq.

quãdo venit

3. Verbum, ἐλθῶν, quod h. l. habetur, *tam* de re, *quàm* de personâ (licèt de *hac* sæpius & magis propriè) usurpatur: De *Persona* Matth. 22 v. 6. c. 24. v. 6. 42. 43. 48. 50. c. 25. v. 13. 19. 31. 34. 2. Thess. 2. v. 3. De *re* Matth. 18. v. 7. c. 6. v. 10. c. 23. v. 35. Sic etiam h. l. de impletione temporis incarnationis Christi usurpatur: Tempus autem *indefinitum*, ἦλθε, quod h. l. extat, significationem obtinet *præteriti*, ac Messiam in carne jamdum exhibitum perspicuè indicat. Cum enim Deus in Scripturâ certô temporis spatiô adventum Christi seu Messiæ circumscripserit, idq; jam effluxerit, ille *venerit* necesse est; quod probè observandum contra *Judæos*, qui promissum Messiam *venisse* præfractè negant, etiamsi pridem omnia completa esse cer-

cernant, quæ ejus adventum notant.

4. In *illorum* gratiam placet huc transscribere argumentum de Messiâ *exhibitô* ex c. 9. *Danielis* petitum, quod tale est:

Circa quæ tempora desinent Sacrificia secundi Templi, circa eadem necessariò venit Messias.

At circa tempora ultimæ destructionis Hierusalem desierunt Sacrificia secundi templi.

Ergo circa tempora ultimæ destructionis Hierusalem necessariò venit Messias.

Ratio *Majoris* est, quia Dan. 9. promittitur per prædictionẽ divinam, quod Christus debeat venire adhuc stantibus Sacrificijs, ut patet ex collatione v. 24, 25, 26, 27. Ad probationem & explicationem *Minoris* pertinet, quod ad Sacrificia nullus ignis debuit adhiberi, nisi quô Deus ipse Sacrificia ex cœlo citra adhibita omnia media humana inflammat, quem semper custodire & servare decuit *Levit.* 9. v. 24. c. 10. v. 1, 2. quemq; hactenus Deus Ju-

dæis nunquam concedere voluit, nec deinceps unquam concedet.

Plenitudo temporis 5. *Plenitudo temporis* per hypallagen dicitur *pro tempore plenitudini*, quod usitatô *Hebraismô* notat *tempus plenum*, omnibus suis articulis definitum: Sicut enim dies in Scripturâ dicitur *impleri*, quando venit *Luc.* 2. v. 6. ita tempus *plenum* appellatur, quando id ad finem decurrit, ejusq; dies ultimus præstitutus adest.

6. Notatur autem hâc phrasi *tempus incarnationis Christi*, quod vocat Apostolus πλήρωμα τῦ χρόνυ, *plenitudinem temporis* seu *plenum tempus* 1. quia fuit illud tempus initium N. T. quod aliàs vocatur consummatio seculi *Heb.* 9. v. 26. & novissima hora 1. *Joh.* 2. v. 18. 2. quia decretum Dei & vaticinia Prophetarũ de adventu Messiæ tunc suum habuerunt complementum. 3. quia gaudium piorum tunc quoq; fuit completum: Cum enim olim tantùm desideria haberent Messiæ futuri, jam lætari possunt de exhibitô.

7. Porrò in S. Scripturâ describitur hoc tempus *incarnationis & nativitatis* Christi *cùm* in genere, *tùm* in specie: *In genere* præfinitur *Gen.* 49. v. 10. dum adhuc Juda erat tribus regia peculiaris, reliquis dignitate ac jure superior, cujus familiæ ac stirpes poterant distinctè numerari, ac linea Davidis distinctè ostendi, donec veniret Messias, quod verè impletum esse constat ex *Luc.* 2. v. 3, 4. *In specie* determinatur istud *Dan.* 9. *v.* 25. *Septimanis septem & sexaginta duabus*: Intelliguntur autem septimanæ *angelicæ*, quarum *una* continet *septem* annos, ita ut dies pro anno habeatur, *Num.* 14. *v.* 34. *Septem* igitur & *Sexaginta duæ* tales septimanæ efficiunt annos 483. Tot enim annos ab eo tempore, quô Rex Persicus Jerosolymam muris & portis instaurari jubebat, usq; ad Christi adventum elapsuros vaticinatur Propheta, cujus vaticinio eventus quoq; ipse respondit, ut constat ex libris *Chronologicis*. Absolutis enim totidem annis

annis Christus (*juxta Chronologiam Funccÿ* anno mundi 3964.) in carnem venit, & Mediatoris officium perfecit. Observationem autem singularem meretur in hôc vaticiniô, quod *septem hebdomade* præponantur sexaginta duabus, quia tot ferè usq; ad perfectionem templi & urbis consumebantur, *confer Iob. 2. v. 20. & τῆς σαφηνείας ἕνεκα* adde etiam *lib. 2. c. 22. Chronol. Clement. Schuberti.*

emisit 8. In græco extat verbum ἐξαπέστειλεν, ubi præpositio ἐξ notat *terminum missionis, à quô* filius Dei venerit, nempè *ex* sinu Patris Joh. 1. v. 18. *Missio* enim *Filii Dei* est actus Dei Patris ablegantis Filium suum unigenitum, ut ex communi SS. Triados consilio, beneplacito ac decreto veram & perfectam ex Mariâ Virgine humanam naturam, animam & corpus, in unitatem personæ suæ assumeret, & munus redemptionis humani generis perficeret, & amissam salutem suô meritô ei restitueret. *Confer Ioh. 6. v.*

4. c. 20

4. c. 20. v. 21. *Matth.* 15. v. 24. Hujus correlatum est *venire Matth.* 5. v. 17. c. 18. v. 11. Ps. 40. v. 8. *Hebr.* 10. v. 5. quod significat obedientiam Filij voluntati Patris sponte se submittentis ad perficiendum, cujus causâ mittitur. Respectu *hujus missionis* Christo appellatur *Apostolus Hebr.* 3. v. 1. & in V. T. *angelus* Jehovah *Exod* 3. v. 20. *Malach* 3. v. 1.

9. Multùm autem differt hæc *Filii Dei* missio, à missione *Apostolorum*: Christus enim missus est à Patre non tantùm ad *docendum Esa.* 61. v. 1. *Luc.* 4. v. 18. sed etiam ad *redimendum*, Matth. 18. v. 11. Verùm quando Apostoli etiam *ita* mitti dicuntur à Christo *Ioban.* 20. v. 21. *Similitudo quædam, non omnimoda æqualitas* intelligitur, videlicet ratione doctrinæ, & potestatis claviũ v. 22. Loquitur enim Christus ibidem de vocatione & missione ad *officium Propheticum*, h. e. *ad docendum & promulgandum Evangelium; non ad officium Sacerdotale*, quod ipse solus

perfe-

perfecit, Esa. 63. v. 3. Particulæ ergò *sicut*, *ita*, in textu *Johannitico* non significant *æqualitatem*, sed tantùm *similitudinem*, & *convenientiam quandam generalem*, *quoad vocationem & missionem ipsam*, *non autem quoad modum vocationis & missionis*.

10. Porro missio hæc Filij Dei suppeditat nobis firmissimum, pro æternâ ipsius Deitate adstruendâ, argumentum *contra Photinianos*, qui Christum, antequàm nasceretur ex Mariâ, extitisse negatum eunt: Contra eos, *inquam*, sic ex *præsenti* loco argumentamur:

Qui mittitur, eum existere oportet, antequàm mittatur: impossibile enim est, non existentem mitti: quia non-entium nulla sunt accidentia.

Filius Dei à Patre æterno missus dicitur, teste Paulô h. l.

Ergo existere cum oportuit, antequam mitteretur. Et per conseq. *non tum demum cœpit existere, cum nasceretur.*

11. Argumentum hoc diversimodè impugnat *Georgius Eniedinus in Explic. dict. V. & N. T.* & 1. ad *majorem* respondet, Deum posse aliquem mittere, & eôdem momentô ex nihilô creare, ita ut & nativitas & missio simul fiat, *Verùm à posse* ad *esse* non semper valet consequentia: Multa enim potest Deus, quæ non sunt, nec fiunt, quod extra dubium est: potest quotidiè Solis currus inhibere volantes, quemadmodum tempore Josuæ fecit: potest hôc momentô machinam mũdi evertere, neq; tamen hoc fit: Ergo vitiosissimè colligitur: *potest Deus Filium suum simul mittere & creare*: *Ergo Filius non exstitit, antequàm mitteretur, sed simul existere cepit, cum mitteretur.* 2. à *majore* transit ad *minorem*, dicens, Christum esse missum non tempore incarnationis, cum nasceretur ex muliere, sed post annum trigesimum, cum munus docendi inchoaret. *Resp.* Exceptio hæc manifestè arguit Apostolum mendacij, qui *terminum missionis* no-

nu notanter hic exprimit, & *implenitudine temporis* ponit. Constans autem est omnium interpretum sententia, *plenitudinem temporis* apud *Paulum* nostrũ esse illud tempus, quò vaticinia Prophetarum de adventu Messiæ fuerunt impleta; quin *Paulus* ipse hunc verborum suorum intellectum nobis suggerit, quando scribit *Gal.* 3. v. 19. *legem* (de cujus abrogatione h. l. agit) *fuisse positam, donec veniret semen*: Venit autem semen non demum 30. annis post nativitatem suam, sed in ipsâ sui conceptione. Perperam ergo hic confundit Adversarius *missionem Christi ad officium demandatum expediendum & plenam mandati officii executionem*: *Illa* facta est in plenitudine temporis, cũ in carnem veniret, atq; ex virgine Mariâ nasceretur: *hæc* v. demum facta est tempore ministerij ipsius, cum officij sui, ad quod missus erat, plenã administrationem susciperet, *Luc.* 4. v. 18. 43. ubi *finis missionis*, qui in executione demandati officij consistit, non *tempus illius* describitur. 12. Vox

12. Vox, DEUS, accipitur h. l. non οὐσιωδῶς vel essentialiter pro totâ SS. Trinitate, ut *Ioh.* 4. v. 24. *Eph.* 4. v. 6. Sed ὑποστατικῶς *personaliter*, pro primâ Trinitatis personâ, h. e. pro Deo Patre: Nomen enim DEI, quando refertur ad Filium, & ab eo distinguitur, ut h. l. primam designat SS. Trinitatis personam, *confer. Rom.* 7. v. 25. 1. *Cor.* 8. v. 6. *Deus*

13. In Scriptura fit mentio *tripli-cium* filiorum 1. *per nativitatem*. eamq; vel *æternam*, ut Filius Dei Ps. 2. v. 6. vel *temporalem*, ut homines *Gen.* 6. v. 4. 2. *per creationem*, ut Adamus *Luc.* 3. v. 38. & angeli *Ioh.* 38. v. 7. 3. *per adoptionem*, ut credentes *Gal.* 3. v. 26. & 4. v. 6. quibus 4. adduntur ab alijs *per vocationem* ad officium, ut Magistratũ Ps. 82. v. 6. Intelligitur autem *hoc loco* Filius Dei naturalis, in unitate essẽtiæ à Patre ab æterno genitus, *Ps.* 2. v. 7. & ab eodem in plenitudine temporis missus, natus ex muliere *Gal.* 4. v. 4. ideo vocatur etiam filius Dei μονογενὴς, *Filius suus*,

quod solus ex solo Patre singulariter (μόνως) *sit genitus Ioh.* 1. v. 14. c. 3. v. 16. item Filius ἴδιος Patris, *quia id, propter quod est Dei Filius, non est ipsi cum aliô quôquam* κοινόν *commune, sed ipsi soli est* ἴδιον, *Rom.* 8. v. 32. Et Deus dicitur ipsius Pater ἴδιος, *Joh* 5. v. 18.

14. Porrò si est Filius, & quidem, quod ex antecedentibus satis liquet, *propriè sic dictus*, sequitur eum Patri suo esse ὁμοούσιον: Filius enim *propriè sic dictus* non tantùm ex substantiâ Patris gignitur, sed eandem quoq; essentiam cum Patre participat. Intelligitur autem *hôc locô* ὁμοουσία, non *specifica*, quâ homo homini dicitur consubstantialis: sic enim *Patres Concilii Antiocheni* rectè negârunt, Filium esse Patri suo ὁμοούσιον: sed *numerica*, quæ notat unitatem essentiæ divinæ simplicissimam, perfectissimam & singulariſſimam: Et propter hanc Filius Dei vocatur 1. *Joh.* 5. *v.* 20. *Deus verus*; & *Tit.* 2. v. 12. *Deus magnus*; *Apoc.* 8. v. 8, παντοκράτωρ, *Epist. Iudæ* v. 4. κύ

ριος ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ μόνος θεὸς πότης, 1. *Cor.* 2. v. 8. κύριος τῆς δόξης.

15. In græco extat participium, γενόμενον quod Beatus *Lutherus* in germ. versione reddidit, geboren / quô nomine carpitur à *Bezâ in notis*, sed præter rem, quod ex *seqq.* evidenter patebit: Participium enim γενόμενον hôc locô notat 1. ἠνωμένως *ipsam* ἐνσάρκωσιν *seu incarnationem Filij Dei*, quâ λόγος in utero B. Virginis Mariæ assumpsit humanam naturam in unitatem personæ suæ. De hac explicatione notatu digna sunt verba *D. Hasenreffert* p. m. super hunc textum ita commentantis: *Quod Scriptura Filium Dei factum dicit ex muliere: quodq; Verbum carnem factum esse pronunciat Ioh.* 1. v. 14. *id alibi* (*nimirum Hebr.* 2. v. 14. & 16.) *participandi ac assumendi verbis interpretatur*; *adeoq; priori dicendi modô personæ unitatem, posteriori duarum in Christo naturarum veritatem & integritatem declarat.* 2. ἐπομένως notat etiam *temporalem Christi secundùm humanam naturam* γέννησιν *seu nativi-*

Facti

sivitatem, quæ incarnationem τῷ λόγῳ in primo conceptionis momento factam in plenitudine temporis est insecutâ *Luc.* 1. v. 31. c. 2. v. 7. unde quod hîc dicitur γνόμενον, id alibi (nimirum *Luc.* 1. v. 25. & *Matth.* 1. v. 20.) dicitur γενηθὲν, & γενώμενον, quò procul dubiò *D. Lutherus* in german. versione respexit: *Posterior* enim hæc significatio nõ tollit, sed supponit *priorem*.

16. Ad *hanc* autem regrediendo quærimus: *Quomodo Filius Dei sit factus ex muliere homo?* Resp. id *Lucas* explicat c. 1. v. 35. πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. Phrases hîc *duæ* peculiares adhibentur *modum* hujus mysterij *quadantenus* nobis declarantes, quarum *prior* (ἐπελεύσεται ἐπὶ σε) notat planè μονότροπον καὶ ἐξαίρετον, singulariter mirabilem & mirabiliter singularem præsentiæ modum. Venit quidem Spiritus S. *ad alios homines*, sed *super aliquem* tum demum dicitur venire, cum operatur mirabilia, quæ naturæ ordinem longissimè transcendunt,

dunt, v. g. cum Prophetis, quæ longè pòst futura sunt, revelat certissimè, ita ut ne tantillum peccent in ullâ circumstantiâ: Sic *hôc locô* Spiritus S. supervenire dicitur in virginem Mariam 1. *humanam Christi naturam in utero B. Virginis formando*, quod factum præter rerum seriem sine interventu viri & virilis seminis, solâ immediatâ S. S. operatione. 2. *massam illam seminalem*, ex qua tanquam causâ materiali Filius hominis concipiebatur, *Sanctificando, & à peccato Originis purgando*: nam quod nascebatur in Mariâ, sanctum erat, teste Angelo *Matth.* 1. v. 20. *Luc.* 1. v. 36. 3. *formatam & sanctificatam humanam naturam cum λόγῳ seu Filio Dei in unitate personæ copulando*: Quapropter, *inquit Angelus*, quòd nascetur Sanctũ, vocabitur *Filius Dei*. *Luc.* 1 v. 36.

17. *Posterior* Phrasis (ἐπισκιάσει σοι) designat h. l. non *generalem* Dei protectionem, quæ in Scripturâ nomine umbræ & alarum quandoq; venit, sed *peculiarem & maximè singularem*, quo-

modo de discipulis Christi usurpatur, quando Christus coram illis transformatur, & Pater cælitùs loquitur, *Matt.* 17. v. 15. *Marc.* 9. v. 7. ut & de miraculosâ sanatione factâ per Petri umbrã *Act.* 5. v. 15. Sic & *hôc locô virtus altissimi* h. e. *Filius Dei*, qui virtus & sapientia Dei appellatur 1. *Cor.* 1. v. 24. dicitur *obumbrare Mariam*, modô planè singulari & mirabili, *humanam videlicet naturam in utero ipsius in unitatem personæ suæ assumendo*; unde hîc à nonnullis ἐπισκιασμὸς de humanæ naturæ in personam τοῦ λόγου assumptione ac personali cum eo unione haut malè explicatur: Fundamentum hujus explicationis continetur in verbis *immediatè sequentibus, de quo vide Coroll.* 3.

Ex 18. Particula, ἐκ, est valde h. l. emphatica, & notat, Christum *respectu humanæ naturæ ex ipsâ substantiâ Mariæ* esse factum & natum, quemadmodum suprà *naturæ divinæ respectu* dicitur ἐξαπεσταλμένος Emissus, ex ipso sc. sinu æterni Patris *Joh.* 1. v. 18. Subministrat ergo

ergo nobis hæc particula, ἐκ, firmissimum *pro humanâ Christi naturâ* argumentum, quod nimirum *ex homine* sit factus & natus homo, constans corpore & animâ rationali, qui fratribus suis in omnibus est similis, exceptô peccatô *Heb.* 2. v. 14, 16, 17. c. 4. v. 15. quod contra *Marcionitas*, *Manichæos*, *Apollinaristas*, *Monotheletas*, *Anabaptistas*, *Flacianos* observandum venit, de quorum erroribus consulantur alij.

19. *Mulieris* voce, digito quasi indice monstratur *Virgo Maria*, quæ vocatur *mulier*, nõ ratione *statûs* aut *conditionis conjugalis*, sed ratione *Sexûs*: Nomen enim γυνὴ, quod in textu Apostolico extat, est nomen commune, denotans sæpenumerò *Sexum*, & opponitur ἀνδρὶ, viro. Constat autem ex alijs Scripturæ locis, Christum ex purâ atq; illibatâ virgine factum ac natum esse; *Esa.* 7. v. 14. Ecce הָעַלְמָה h. e. virgo, quæ occultata est à concubitu viri, erit prægnans & Filium pariet. Confer & *Matth.* 1. v. 23. *Luc.* 1. v. 31. Hinc etiam versiculus: *Vir-*

Muliere

Virgo fuit partum post, in, & ante suum.

20. Sed quæstio hìc oritur, *cur Apostolus Mariam vocare maluerit γυναῖκα, quàm παρθένον, mulierem quàm virginem?* R. Apostolum istô nomine respexisse 1. *ad protevangelicam promissionem* protoplastis nostris in paradyso factam de semine mulieris caput serpentis contrituro *Gen.* 3. v. 15. 2. *ad Mariæ cum Josepho desponsationem*: Maria enim erat virgo desponsata *Luc.* 2. v. 5. ac proinde *jure & opinione hominum*, qui rem non satis exactè cognitam habebant, erat uxor Josephi, licèt non *usu & facto Matth.* 1. v. 18. Et Christus Josephi Filius putabatur *Luc.* 3. v. 23. Nam in Scripturâ *Sponsæ* appellantur *uxores Gen.* 29. v. 21. *Matth.* 1. v. 20. & cum illis adulterium dicitur committi *Deut.* 22. v. 24. *Osee.* 4. v. 13. *Sponsi* verò *respectu conjugis ducendæ* appellantur *mariti Matth.* 1. v. 19. & *respectu parentum jus, generi Gen.* 19. v. 14.

Factus sub legem.

21. In græco textu iterum extat participium γενόμενον, quô Apostolus indi-

gitare voluit, Christum *respectu sui* non fuisse legi obnoxium, nec *sub debiti ratione*, adeoq; *Suipsius respectu* servum legis extitisse. Non enim nudus erat homo, sed θεάνθρωπος, & per conseq. Dominus legis *Matt.* 12. v. 8. Lex autem data est hominibus, non Deo, qui à peccatis abstinet non *ex quadam legis præscriptione*, sed *ex naturæ suæ conditione*, quâ fieri non potest, ut contra legem suam faciat, aut peccatum quoddam committat: Quamvis autem Christus *ex conditione naturæ ac propter semetipsum* à lege fuerit exemptus, *propter nos* tamen, inquit Apostolus, factus est κατ' οἰκονομίαν voluntatis divinæ sub legem h. e. ex communi SS. Triados decreto sponte hâc servitutem legis in se recepit, quod D. *Lutherus* appositè reddidit, vnter das Gesetz gethan.

22. Factus autem est sub legem h. e. legi subjectus est 1. *ratione perfectissimæ impletionis*, quâ nostram inobedientiam expiavit, quemadmodum

Paulus declarat *Rom. 5. v. 19.* Et hôc sensu Christus ipse dicit, se veniſſe, non ut ſolveret legem, ſed ut impleret *Matth. 5. v. 18.* reſpiciens ad *officium redemptionis*, cujus gratiâ miſſus erat in mundum, ad quod impletio legis requirebatur: Unde ſic argumentamur: *Quod Chriſtus propter alios præſtitit, ut ipſi redimerentur, id ipſe naturâ ſuâ ac pro ſe præſtare non tenebatur*: Ratio eſt, quia eô, qnod debemus, nihil vel nobis, vel alijs promereri valemus: *ſed quod Chriſtus legi ſubjectus fuit perfectè obediendo legi, id propter alios præſtitit*, videlicet propter nos homines redimendos, *docente Paulô noſtrô, hôc in locô, & Rom. 5. v. 19. Ergo ad præſtandam illam obedientiam pro ſe naturâ ſuâ non tenebatur.* Neq; obſtat, quod dicunt *Photiniani* & cum illis *Pareus Calviniſta*, *Filium hominis ſubeſſe debere ſuo Creatori & lege ejus morali*: Nam Chriſtus nihilominus ſubjectus erat Patri, etiamſi lex moralis, *ut norma & regula vivēdi* ei data eſſe negetur: propter

pter naturam enim ſuam ſanctam & impollutam non poterat in minimô peccare: Lex autem moralis ſcripta dataq; erat *hominibus illis, qui peccare poterant*, ideoq; propterr transgreſſionem poſita eſſe dicitur, h. e. propter transgreſſores, ſeu propter eos, qui legem transgredi poterant, *Gal. 3. v. 19. quiq; voluntatem Dei & modum inſtituendi vitam ſuam ex illius præſcripto diſcere debebant*, eamq; ob cauſam lex tradita dicitur populo, ut diſcat timere Dominum *Deut. 9. v. 4.* Quæ omnia de Chriſto dicere, non caret impietate. Concludimus ergo, quod Chriſtus *neq; ex debito, neq; ex conditione naturæ, neq; propter ſemetipſum* legi fuerit ſubjectus: *Non ex debito*, quia obedientia, quam legi præſtitit, alias non potuiſſet nobis eſſe meritoria: nemo enim ſuis debitis alijs aliquid promereri poteſt *Luc. 17. v. 10.* *Non ex conditione naturæ*, quia non poterat in minimo peccare: Eſt enim naturâ ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν

λῶν Heb. 7. v. 26. Lex autem data est illis, qui peccare poterant, *Gal.* 3. *v.* 19. *Non propter semetipsum*, quia propter nos redimendos sub legem factus esse dicitur *Gal.* 4. *v.* 5.

23. 2. Factus est sub legem *ratione maledictionis*: Ipse enim nostri locô factus est κατάρα *Gal.* 3 v. 13. & pœnas legis, quæ nobis debebantur, in se derivavit, *Esa.* 53. v. 6. & 10. Errant ergo *Pontificii*, qui dicunt, Christum patiendo sibi aliquid promeruisse, abusi dictis *Luc.* 24. v. 26. *Ps.* 110. v. ult. *Hebr.* 2. v. 6. ubi describitur *consequentia ordinis, non causalitatis.*

ut eos, qui sub lege erant

24. Per *eos, qui sub lege erant*, notantur *omnes in universum homines*, quos Scriptura concludit sub peccatum *Gal.* 3. v. 22. ac gloriâ Dei egere pronunciat *Rom.* 2. v. 23. Istos ad unum omnes *sub lege esse* scribit Apostolus *tùm* quoad rigorem exactionis, *tùm* quoad maledictionẽ: Rigor enim legis ab omnibus hominibus exigit perfectissimam obedientiam, quam cum nemo hominum

minum propter naturæ corruptionẽ præstare possit, *Rom.* 8. v. 3. subjicit eos æternæ maledictioni ac damnationi *Confer Deut.* 6. v. 5. & cap. 27. v. 27.

25. De cætero suggerit nobis Apostolus his verbis, τὰς ὑπὸ νόμον, irrefutabile *contra Calvinianos pro Universalẽ merito Christi* argumentum, quod ita formamus: *Quicunq; erant sub lege, hos Christus redemit: At omnes homines in Adamo perditi ratione maledictionis generalis erant sub lege. Ergo omnes redemit.* *Major* est Apostoli in *hôc locô.* *Minor* patet, quod non tantùm de Judæis loquatur Apostolus, sed de omnibus, quotquot vel labe originali sunt contaminati (sunt autem omnes eâ infecti *Eph.* 2. v. 3.) vel peccatis propriis & actualibus maculati: nam omnes simul sub peccato & lege sunt *Rom.* 3. v. 9. Stat ergo *Conclusio.*

Redimeret

26. Progredimur ad textum, in quo Christus dicitur *redemisse* eos, qui sub lege erant: In græco utitur Apostolus verbô, ἐξαγοράσῃ, quod est solu-

solutô preciô aliquid non tantùm emere, sed redimere, ita ut hac redemptione ab onere aliquo liberetur. Metaphora sumpta est *vel* à mercatoribus, qui mercem quandam vel permutando, vel precium solvendo emunt: *vel* à Ducibus, qui captivos certâ pecuniæ summâ redimunt: *vel* etiam à Goële & vindice illo, qui juxta legem Domini, absq; liberis defuncti bona & hæreditatem redimebat Lev. 25. v. 25. unde Christus Goël seu redemptor appellatur Job. 19. v. 25. Apprimè id à S.S. accommodatur operi redemptionis generis humani per Christum factæ *in hôc & seqq. locis* 1. *Cor.* 6. v. 20. 2. *Pet.* 2. v. 1. *Gal.* 3. v. 13. 1. *Corinth.* 7. v. 23. *Apoc.* 5. v. 9. cap. 14. v. 6. quibus adjungantur etiam loca, ubi vox ἀφεσις, ἀφιημι, ἀφιεσις extat *Actor.* 20. 28. *Ephes.* 1. v. 14. 1. *Thess.* 5. v. 9. item, ubi extat ἀντίλυτρον 1. *Timoth.* 2. v. 6. λύτρωσις *Hebr.* 9. v. 12. ἀπολύτρωσις, ibid. v. 15.

27. *Tria* verò in hôc opere redemptionis hîc consideranda veniunt: 1. *redemptionis* λύτρον *seu precium*, quod fuit obedientia Christi, *tàm* activa, *quàm* passiva, cujus intuitu DEUS emancipavit & liberos dimisit, qui sub lege erant; Unde sequitur, redemptionem istam non fuisse *simplicem* liberationem, sed veram recompensationem & satisfactionem, *mediante solutione* λύτρου præstitam, quod contra *Photinisequas* benè observandum est. Et huc spectant seq. loca 1. *Pet.* 1. v. 18. *Matth.* 20. v. 28. 1. *Tim.* 2. v. 6. *Johan.* 10. v. 17.

28. 2. *Redemptionis obiectum*, à quo nos Christus liberavit. Docet autem Apostolus in hôc & alijs locis, Christum nos liberâsse non tantùm ab observatione legum forensium ac cerimonialiũ, verùm etiam à *rigore & maledictione legis moralis*, unde in *Epist. ad Rom.* cap. 6. v. 14. inquit: *Non estis sub lege.* In quem locum *formula Concordiæ* ita commentatur: *Non esse sub lege, non significat omnimodam à lege immunitatem & li-*

& licentiam quidvis faciendi (qualis certè licentia neq; Adamo fuit concessa, neq; Angelis) sed significat liberatum esse à maledictione legis, & (NB. liberationem à rigore exactionis) libero Spiritu, ac cum delectatione jam DEO inservire: Hoc igitur Paulus voluit dicere: Vos jam non ex coactione legis (sine auxilio Spiritus S.) sed promptè jam (quatenus renati estis) voluntati Dei obtemperatis &c. Atq; hoc est discrimen inter opera legis & fructus Spiritûs: Opera enim quæ secundùm præscriptum legis fiunt, eatenus opera legis sunt, & appellantur, quatenus solummodo urgendo & minis pœnarum, atq; iræ divinæ ab homine extorquentur: Fructus autem Spiritûs sunt opera illa, quæ Spiritus Dei in credentibus habitans, per homines renatos operatur, & quæ à credentibus fiunt, quatenus renati sunt, ita quidem sponte ac liberè, quasi nullum præceptum unquam accepissent, nullas minas audivissent, nullamq; remunerationem expectarent. Hactenus *Formula Concordiæ*, cui & nos mente & manu subscribimus, statuentes, Christum nos liberasse 1. *à rigore legis moralis* h. e. à *debito obedientiæ meræ legali & Mosaico*, quò tenebamur legem exactissimè & perfectissimè implere, si vitam æternam vellemus consequi; non autem *ab omni obedientiâ Salvatori nostro debitâ*. 2. à *maledictione legis*, quam ipse à nobis in se transtulit: Et huc pertinent dicta seqq. *Johan.* 8. v. 36. *Rom.* 8. v. 1. *Gal.* 3. v. 13 &c.

39. 3. *Redemptionis subjectum*, quod sunt omnes homines maledictioni legis obnoxij, *docente Apostolo*: Beneficium enim *redemptionis* est *generale* ad totum mundum seu omnes homines spectans, quotquot in mundo antehac fuerunt, adhuc sunt, & posthac erunt, ut liquet ex *Scholio* 25. Ubi tamen notanda est distinctio *inter acquisitionem, & applicationem*, quarum *illa* Universalis; *hæc* particularis: *Illa* enim fit sine nobis, *hæc* non item, quia fit per media, quæ negliguntur à pluribus, ideoq; mirum non est, quod, cum *illa misericordiæ divinæ voluntas* impediatur, *voluntas justitiæ* in plerisq;

impleatur, multiq;, quibus salus est parta, condemnentur. Huc refer dicta seqq. *Esa.* 35. v. 16. *Joh.* 1. v. 29. 1. *Ioh.* 2. v. 2. 1. *Cor.* 15. v. 22. 2. *Cor.* 5. v. 15. 1. *Tim.* 2. v. 6. 1. *Tim.* 4. v. 6. 1. *Tim.* 4. v. 10. &c.

Ut 30. Ex beneficio *redemptionis* resultat beneficium *adoptionis*, quod particula causalis, *Vt*, apertè hôc locô indicat: Christus enim suô meritô ὑοθεσίαν nobis acquisivit, & per verbum ac Sacramenta omnibus eam offert. Est enim ὑοθεσία actus divinus, quô Deus credentes ex gratiâ propter meritum Christi in Filios suos adoptat, *Joh.* 1. v. 12. *Medium*, quô hujus beneficij reddimur participes, est *Fides salvifica* in Christum, quam verbum ἀπολάβωμεν ceu digitô monstrat: Fidei enim propriũ est λαμβάνειν, καταλαμβάνειν, ἀπολαμβάνειν, *Ioh.* 1. v. 12. *Col.* 2. v. 6. 1. *Corint.* 15. v. 1. *Ioh.* 17. v. 8. *Act.* 10. v. 43. *Rom.* 9. v. 30. *Gal.* 3. v. 14. *Phil.* 3. v. 9. *Hebr.* 4. v. 16. c. 9. v. 15. Εμφατικώτερον verò istis videtur verbum, quod *hôc locô* extat, ἀπο-

adoptionẽ filiorũ

recipe-remus

ἀπολαμβάνειν, quod notat tantum ex communi thesauro ad se derivare, quantum sufficit, imò quasi vi rapere, *Confer Matth.* 11. v. 12. *Luc.* 16. v. 16. *D. Polycarpus Lyserus* in comment. super *Matth.* 11. v. 12. vim & naturam hujus verbi ita explicat. *Voluit Christus describere naturam & proprietatem fidei justificantis, quod sc. non sit ociosa notitia, nec frigida cogitatio, sed ardentissimus cordis affectus, qui ferventi desiderio, luctâ & conatu per omnia obstacula, gemitu, petitione & fiduciâ eò feratur, ut regnum cœlorum, quod verbo offertur, ita quærat, amplectatur, & retinere cogitet, sicut illi, qui violentiâ aliquid invadere, & occupare conantur, nullis laboribus parcunt, nullis periculis absterrentur.*

31. Si quis hîc regerat, nos fore demum in alterâ vitâ hujus beneficij participes, *attestante ipso Paulo Rom.* 8. v. 23. Ergo non apprehendi illud fide in hac vitâ. Resp. *Paulum* d. l. intelligere ὑοθεσίαν, non *simpliciter*, *quatenus* est actus divinus, quô Deus credentes mi-

 seri-

TBG Raamatukogu

sericorditer adoptat in filios suos, quò pactò eam accipit *Gal.* 4. v. 5. Sed *quoad plenariam nostri ex morte, ex sepulchro, & ab omnibus hostibus redemptionem & glorificationem*, ut liquet ex textûs cohærentiâ: *Ipsi*, inquit, *intra nos gemimus adoptionem filiorum, expectantes redemptionem corporis nostri*, à servitute sc. corruptionis, cui in hôc seculô sumus subjecti. *Confer* v. 20, 21.

32. Ultimò hîc moveri potest quæstio: *Qui fiat, quod cum omnes, qui sub lege erant, sint à Christo redempti, multi non adoptentur in filios Dei, nec per conseq. salventur?* Responsio plana est ex antecedentibus, quia oblatum istud beneficium nolunt λαμβάνειν: quando vocantur ad nuptias & convivium, nolunt venire, *Matth.* 22. v. 3. *Luc.* 14. v. 18. quando Christus vult sub alas suas eos congregare, ipsi nolunt aggregari *Matth.* 23. v. 37. quando Spiritum S. offert, & petentibus daturum se promisit, *Luc.* 11. v. 13. multi illi resistunt. *Actor.* 7. v. 51. quando fidem omnibus cupit

cupit dare *Actor.* 17. v. 30. 31. tamen *vitiô hominum* non est omnium 2. *Thes.* 3. v. 2. quia non omnes audiunt verbum Dei, ex cujus prædicatione fides est, *Rom.* 10. v. 17. & qui audiunt, ita sunt comparati, ut eorum quàmplurimi ad fructificationem suôpte vitiô non pertingant, *teste Christo Luc.* 8. v. 11. & seqq. His finem imponimus meditationibus nostris, Patrem Domini nostri Jesu Christi invocantes, ut propter filium suum factum ex muliere, factum ex lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, nos quoq; υἱοθεσίᾳ æternùm beare velit. Amen, Amen.

Corollaria.

1. *Col.* 2. v. 9. inquit Apostolus: *In ipso inhabitat tota plenitudo Deitatis corporaliter.* Quod Emphaticum dictum ut plenius intelligatur, nota

1. Hîc intelligi DEITATEM, non prout *absolutè* considerata, tribus divinis personis competit, sed *quatenus* in personâ τῷ λόγῳ *determinatur*: sicut &

attributa divina essentialia in communicatione idiomatum nõ *absolutè*, sed *determinatè* ἐν τῷ λόγῳ considerantur.

2. Eam habitare IN CHRISTO, *quâ homo est*. Nam si in Christo, *quâ Deus est*, ea habitare diceretur, tum hæc inepta inde resultaret analysis: *In Christo*, h. e. *in Deitate Christi inhabitat tota plenitudo Deitatis corporaliter*: Atque sic *inhabitans* confunderetur cum suo *habitaculo*, *quod* tamen Apostolus ipse exertis verbis *ab illo* distinguit.

3. Intelligi INHABITATIONEM *hypostaticam*, & prorsus ἐξαίρετον, quam designat vox σωματικῶς, CORPORALITER: nam τὸ σῶμα, *per Synecdochen partis pro toto*, interdum significat totam personam hominis, sicuti vox, *Caro*, Joh. 1. v. 14. (*Verbum Caro factum est*) phrasi Scripturæ accipitur pro integro homine, constante corpore ac animâ, ut & omnibus facultatibus & viribus naturalibus. Non autem repugnamus, si quis hanc vocem CORPORALITER: non de *modo unionis*, sed de *subjecto* inhabitationis velit explicare, hunc quidem in modum: In ipso inhabitat tota plenitudo Deitatis, *tanquam in proprio suo corpore & templo*: Hæc namq; explicatio *priorem* non evertit, sed potius stabilit: nisi enim humanitas à λόγῳ in unitatem personæ esset assumpta, corpus humanum non posset dici *proprium* τοῦ λόγου corpus.

4. Intelligi inhabitationem non *nudam & otiosam*, sed quæ includat *realem divinæ majestatis communicationem*, quam D. Paulus subinnuit voce PLENITUDINIS, dicens: Tota *plenitudo* Deitatis &c. Quibus verbis Spiritus S. nusquam describit *inhabitationem Dei in Sanctis*, sed potius dicit 1. *Cor.* 12. v. 4. quod sint διαιρέσεις χαρισμάτων: At ex *plenitudine* Christi nos omnes accepimus *Joh.* 1. v. 16. quam proinde oportet esse verè divinam ac immensam. Et certè nulla divina inhabitatio est expers communicationis donorum: siquidem vigore *gratiosæ & gloriosæ* habita-

bitationis in nobis, evadimus κοινωνοὶ τῆς θείας φύσεως 2. Pet. 1. v. 4. & κοινωνίαν habemus cum Patre & cum Filio ejus J. C. 1. Joh. 1. v. 3. Quàm inenarrabiliter ergo majorem & augustiorem κοινωνίαν includit hæc totius plenitudinis Deitatis τῆς λογικῆς in carne inhabitatio, utpote quæ totô genere sublimior est, quam inhabitatio gratiosa & gloriosa?

5. Quia non particula Deitatis, sed TOTA Deitatis τῆς λογικῆς plenitudo reali κοινωνίᾳ in assumptâ carne inhabitat, nullum divinum idioma hinc excludi, tametsi assumpta caro non ab omnibus immediatè denominetur: Omnia quidem in personâ τοῦ λόγου carni assumptæ verè ac realiter sunt communicata quoad *possessionem*; at non item quoad *usurpationem*, atq; *immediatam ab illis denominationem*.

11. Gen. 22. v. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Intelligenda sunt hæc verba, non *de externâ quadam & corporali benedictione*, (hæc enim non

non spectabat ad omnes gentes, sed solos Abrahami posteros concernebat) *sed de Spirituali*, remissione scilicet peccatorum gratuitâ, & reliquis beneficijs per meritum *Christi ex semine Abrahami oriundi* Hebr. 2. v. 16. *universo quidem generi humano vi promissionis hujus divinæ acquisitis*, & in verbo ac Sacramentis *oblatis*, solis tamen in Christum credentibus *applicatis & collatis*, explicante Apostolô *Gal.* 3 v. 9. 14. 16. 17. *Judæi* verò abjurati Christi hostes ex istis *formulam salutandi & benè precandi* faciunt, quasi hic sit sensus, quod ipsæ gentes sibi mutò sint benedicturæ his verbis: *Benedicat tibi Deus, sicut fecit Abrahamo*. Quam explicationem fontes *Hebr.* videntur approbare, in quibus extat verbum quartæ conjugationis הִתְבָּרְכוּ, quod habet significationem reciprocam *benedicent sibi*, seu *benè precabuntur* sibi. Sed hæc glossa evertitur his rationibus: 1. Nomen *Abrahæ* omnibus gentibus non innotuit: Ergo non poterant omnes

mnes gentes in nomine Abrahæ sibi invicem benè precari. 2. promissio benedictionis facta est non *in ipso Abrahamo*, sed *in semine eius* h. e. *propter semen Abrahami*, ita ut hîc *causa efficiens* istius benedictionis significetur, quæ ex semine istô, Abrahamo singulariter promissô, in universas familias terræ promanat. 3. Psalmista quoq; *David* promissionem *Filio suo Messiæ* applicat, *deq; Spirituali benedictione* per eum omnibus hominibo partâ explicat Psal. 72. v. 17. Nec obstat verbum *reciproca* significationis: Nam verè populi sibi benedicent h. e. se beatos ac benedictos, justos ac salvos pronunciabunt, propter nullum alium, quàm semen illud Abrahamo promissum, & gloriabuntur non in suâ justitiâ & virtutibus, sed in Christo mediatore. Act. 4. v. 12. Gal. 3. v. 9. 14.

III. Luc. 1. v. 35. inquit Angelus: *Quapropter & quod nascetur Sanctum, Filius Dei vocabitur.* Ubi nota 1. particulam διό, *quapropter*, non esse hôc sensu *causalem* quasi indicet, causam filiationis Christi esse conceptionem ex Spiritu S. sed *rationalem*, quâ infertur conclusio ex omnibus v. 31, 32, 33, 34. præmissis, ijsq; complicatis, q. d. Angelus: *Maria, quia in tuo, qui nascetur, Filio, omnia, quæ tibi ex Prophetis recensui*, verè *complebuntur*: διό, *ideo quod nascetur* &c. 2. Angelum non nudè posuisse particulam, διό, sed ei apposuisse voculam καί, *&, etiam*, ut significaret, non nudum hominem, sed ipsum *etiam* Dei Filiũ ex Mariâ virgine esse nasciturum. 3. Vocabula *neutrius* generis, (*quod* nascitur, *Sanctum*) respicere ad humanam Christi naturam, *propriâ personalitate destitutam*. Ad primum autem harum observationum membrum notetur, nos minimè repugnaturos esse, si quis particulam, διό, *causaliter* explicet *hôc* nimirum *sensu*, quod conclusio Angeli *duo* complicet membra, quorum *prius*: *Ergo, quod nascetur, erit Sanctum*: *posterius*: *Ergo quod nascetur, vocabitur*

Filius Dei. Duplicata hæc conclusio *duplicem* quoq; rationem exigit: *prioris* ratio hæc est: *Spiritus S. superveniet in te*: Syllogismus hinc talis emergit:

Quicquid ex immediatâ Spiritus S. operatione concipitur, id Sanctum est;

Quod nascetur ex Mariâ virgine, id ex immediatâ Spiritûs S. operatione concipitur. Ergo,

Posterioris ratio exprimitur verbis seq. *Virtus altissimi obumbrabit te*; quæ suprà de unione hypostaticâ duarum naturarum in Christo explicavimus: Syllogismus hinc nascitur talis:

Quicquid in unitatem personæ à τῷ λόγῳ est assumptum, id cum divinâ ipsiq; naturâ unum constituit ὑφιστάμενον, quod vocatur Filius Dei.

At humana natura in unitatem personæ à τῷ λόγῳ est assumpta.

Ergo humana natura cum divinâ τῷ λόγῳ naturâ unum constituit ὑφιστάμενον, quod vocatur Filius Dei.

DISPUTATIO III.

De DUABUS IN PERSONA CHRISTI NATURIS.

Respondente M. NICOLAO NYCOPENSI Sueco.

THESIS I.

TRibus absolvitur partibus salvifica mediatoris nostri Jesu Christi cognitio. 1. *De persona.* 2. *Officio.* 3. *Gemino statu*: De his tribus partibus, omnibo & singulis, animus est mihi disputationes aliquot publicas, auspice Christo, adornare: Initium ergo nunc faciam de *prima* parte h. e. de persona Christi.

II. Doctrina Ecclesiæ Dei syncera *de persona Christi tribus* constat distinctis, & verè classicis quæstionibus, sub quarum complexu omnia comprehendi possunt, quæ de persona Christi sub incudem disputationis revocari possunt: *Et prima* quidem agit de

duabus naturis, unum ὑφιστάμενον h. e. personam Christi constituentibus, *quatenus* nimirum illæ *in se* & *per se* juxta suas essentiales proprietates considerantur. *Secunda* inquirit *modum ac definitionem unionis hypostaticæ* duarum naturarum in Christo. *Tertia* tractat de *mutuâ*, eâq; *arctissimâ idiomatum communicatione*. De *priori* tantùm impræsentiarum dispiciemus

III. Persona Christi est σύνθετον & constat ex duabus naturis, *divinâ & humanâ*, quarum tamen quælibet in ipsâ etiam unione suas essentiales proprietates retinet.

IV. *Primò* ergo in disquisitionem venit *Divina* Christi *natura*, quam statuminamus 1. *auctoritate divinâ prophetica & Apostolicâ*, quâ de vide Jer. 23. v. 6. & c. 33. v. 16. *In diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit confidenter, atq; hoc est nomen, quod vocabunt eum, Jehova justitia nostra.* Johan. 1. v. 2. *In principio erat verbum, & Verbum erat apud Deum, & DEUS erat Verbum.*

Rom. 9. v. 5. *Christus supra omnia Deus benedictus in secula.* 1. Joh. 5. v. 20. *Hic est verus ille Deus, & vita æterna* Rom. 8. v. 32. *Pater proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo nobis omnia donabit.* Joh. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse nobis enarravit.* Col. 1. v. 15. *qui est imago Dei invisibilis, & primogenitus omnis creaturæ.* Heb. 1. v. 6. Psal. 2. v. 7. *Jehova dixit mihi: filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Ad dictum Jerem. 23. v. 9. & 33. v. 16 Nota: *Vocabunt eum*: *In Hebræo est affixum fœminini generis, quod tamen nihil juvat Adversarios nostros: Sunt enim qui illud ad vocem Jehova; sunt, qui ad Jerusalem referunt: Illi Enallagen generis ponunt in textu Hebræo non infrequentem, quemadmodum* Gen. 2. 15. *nomini masculino* גַּן *hortus, duo verba cum affixis fœminini adjunguntur; idq; sæpe fieri notum etiam est tyronibus, & in Grammaticis pluribus declaratur exemplis: Causam hujus Enallages qui volunt, videat apud Johan. Mercerum in prælect. in Gen. c. 4. fol. 110. sed nulla nos cogit necessitas, ut affixum à voce Jerusalem, adjungamus: Ita enim*

enim habet textus in fontibus: Et iste sc. Rex Messias, qui vocabit eam Sc. Jerusalem seu Ecclesiam, est Jehova justitia nostra, vid. version. Ariæ Mont.)

V. Hinc ita concludimus, pro astruenda Deitate Christi:

Quicunq; in scripturis expressè & absolutè vocatur Jehova, Deus, Filius Dei proprius, unigenitus, primogenitus, & ab æterno genitus, is est verus Deus, æterno patri ὁμοούσιος. Sed Christus in Scripturis ita vocatur; ut liquidò constat ex dictis allegatis

Ergo is est verus Deus æterno patri ὁμοούσιος.

VI. 2. Ratione: Cui competunt attributa Dei essentialia, & opera soli vero Deo propria, is est verus Deus.

At Christo hæc competunt:

Ergo is est verus Deus.

VII. *Major* suâ luce radiat: Cui enim proprium tribuitur, ipsi etiam necessariò convenit subjectum istius proprij: *Minor* est κατὰ μέρος, & constat seqq. S. literarum testimonijs. 1. Attribuitur ipsi *æternitas* Prov. 8. v. 23. *Ab æterno constituta sum, nondum erant abyssi*

abyssi, & ego jam genita eram: In Hebræo est חוֹלַלְתִּי, quæ vox de formatione fœtûs in utero accipitur Ps. 51. v. 6. Hic verò ἀνθρωποπαθῶς de æterni filij Dei generatione usurpatur. Esa. 9. v. 9. *Nomen ejus* (Christi) *vocabitur Pater æternitatis*, Heb. 13. v. 8. Apoc. 1. v. 4. 8. 11. 18. Heb. 9. v. 14. *Christus per Spiritum æternum semetipsum obtulit Deo*: (Nota: Hic per Spiritum æternum intelligitur divina Christi natura. Verba autem hæc διὰ πνεύματος αἰωνίου accipiuntur vel 1. αἰτιολογικῶς, in sensu causali h. e. de causâ efficiente, quod Christus per divinam suam naturam seipsum juxta carnem passioni subjecerit: Et sic verũ est: nam humana Christi natura in omnibus ductũ & motũ divinæ naturæ est secuta Luc. 4. v. 1. Matt. 26, 39. vel 2. ἀντικειμένως in sensu subjectivo, quod Christus secundùm Spiritũ æternũ, vel secundùm Deitatem sit passus; & sic falsum est) 2. *Immutabilitas*. Heb. 1. v. 2. *cœli peribunt, tu autem permanes, & omnes ut vestimentum*

veteraſcent. 3. *Omnipotentia.* Matth. 11. v. 27. *Omnia mihi data ſunt à Patre meo.* c. 28. v. 18. *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* 4. *Omniſcientia.* Joh. 2. v. 25. *Nec opus eſt, ut quiquam ei teſtimonium perhibeat de homine: ipſe enim ſcit, quid ſit in homine.* c. 16. v. 30. nunc ſcimus quia ſcis omnia Apoc. 2. v. 23. cognoſcent omnes Eccleſiæ, me eſſe *ſcrutatorem renum & cordium.* 5. *Omnipræſentia.* Matt. 18. v. 20. *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum.* Matt. 28. v. 20. &c. De *operibus* quoq; *divinis*, quæ Chriſtus *propriâ*, & non *alienâ*, ut Apoſtoli, virtute & quidem ad ſuam gloriam effecit, teſtatur Joh. 1. v. 3. *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* C. 2. v. 12. c. 5. v. 19. &c.

IIX. *Secundò* in diſceptationem venit quoq; *humana* Chriſti *natura*, quam pariformiter adſtruimus 1. *Sacrarum literarum* teſtimonijs, in quibus diſertè, verè & propriè nuncupatur homo Luc. 23. v. 47. *Quum vidiſſet Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens, verè* hic homo *juſtus erat.* 1. Tim. 2. v. 5. *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum,* HOMO *Chriſtus Jeſus:* (Ubi tota perſona appellatur Homo, denominatione factâ ab humanâ ipſius naturâ: Voluit autem Apoſtolus ipſum hominem appellare, 1. ut vinculum noſtræ cũ Deo conjunctionis oſtenderet; 2. quia vox hæc hominibus, de quorum ſalute agitur, & qui iram Dei propter peccata ſentiunt & timent, magis amica & grata eſt, quàm nuda vox Dei, qui peccatores terret, utpote quibus Deus eſt ignis conſumens. Deut. 4.) *Item Marc.* 15. v. 39. 40. *Matth.* 26. v. 64.

IX. 2 *Ratione: Cui definitio hominis, ejuſq; partes eſſentiales, anima nimirum rationalis, & corpus humanum, itemq; proprietates & operationes humanæ conveniunt, is verus & naturalis homo eſt.* *At Chriſto hæc omnia conveniunt.* *Ergo verus & naturalis homo eſt.*

X. *Major* radijs ſolaribus clarius

lucet: *Minoru* certitudo Sacrarum l terarum auctoritate nititur: *De defin tione enim & partibus essentialibus humã ne Christi natura* vide Matth. 20. v. 2 *Filius hominis non venit ministrari, se ministrare, & dare animam suam reden ptionem pro multis*: (Hic fit menti *anima*, quæ loco λύτρον ponitur & re demptioni jungitur: Ubi nota con tra Photinianos hanc maximã Theo logicam: *Quotiescunq; redemptioni acquisitioni jungitur λύτρον, toties signi ficat non simplicem liberationem, sed vera retompensationem & satisfactionem.*) Itẽ c. 26. v. 28. c. 27. v. 38. Joh. 10. v. 15. 1 *De proprietatibus & operationibus humã nu* vide Luc. 2. v. ult. Matth. 26. v. 2 & 38. &c.

XI. Conclusionis igitur loco, an necto hic sententiam D. *Hilarii* l. 9 de Trinitate, *Nescit planè, nescit Vitam sucam, qui Christum uti verum Deum, ita & verum hominem ignorat.*

COROLLARIA.

I. *Quomodo Filius sit à Patre*: Resp. Est

Est à Patre 1. *ratione essentiæ*, quæ licet *absolutè in se considerata* origine careat, *relatè* tamen *in filio* originem habet à Patre, *quatenus* scilicet per æternam generationem à Patre Filio Dei est communicata: 2. *Ratione personæ*: Pater enim Filium gignendo aliam produxit personam. 3. *Ratione operationis*: Propter originem enim existentiæ, quam filius habet à Patre, non agit *à se*, sed *à Patre*. Joh. 5. v. 19. 30.

2. *An generatio Filij Dei sit vera & propria?* Resp. disting. inter *proprietatem vocis grammaticam*, & *proprietatem rei physicam*: Juxta *illam*, non *hanc*, dicitur *propria*, quod Thomas p. 1. q. 33. art. 2. sic declarat: Generatio *per prius* dicitur de DEO, quàm de creaturis, *quoad rem significatam*, licet non *quoad modum significandi*; Generatio speciem accipit à termino, qui est forma generati, & quantò hic fuerit propinquior formæ generantis, tantò verior & perfectior est generatio; unde hoc ipsum, quod in generatione divinâ

est eadem numero forma (essentia) generantis & geniti, in creatis autem rebus non *eadem numero*, sed *specie* tantùm, ostendit, quod generatio *per prius* sit in divinis.

3. *Quomodo Spiritus S. à Patre & filio procedat?* Resp. *non loci mutatione*, sed in Patre & filio manens procedit *et eadem essentia communicatione*: Spiritus Sanctus ita est ἐκ τοῦ Θεοῦ 1. Cor. 2. v. 12. ut tamen maneat ἐν τῷ Θεῷ. Breviter: Processio Spiritus S. non est *transgressiva* h. e. non consistit in recessu, sed *immanens*, ita ut in Patre & Filio maneat ratione *essentiæ*, sed tamen sit *distincta* persona.

4. *An & quomodo humana Christi natura ingrediatur consortium S. S. Trinitatis?* Resp. *Eo modo, quô* interna facta est verbo, Trinitati etiam internam factam esse dicimus, sc. non οὐσιωδῶς: Christus enim secundùm humanam naturam non est ὁμοούσιος Deo Patri: sed ὑποστατικῶς h. e. mediante personâ τοῦ Λόγου: Pertinet enim ad constitutionem

nem λόγου *incarnati*: Quamvis autem humanitas sit extra Patrem & Spiritum S. *quatenus in verbo subsistit*, non tamen propterea extra Trinitatem collocatur: Siquidem ipse etiam λόγος, *si personalem distinctionem spectes*, extra Patrem & Spiritum S. esse sanô sensu rectè dicitur: Et Trinitas non sub Τριάδος, sed μονάδος ratione, hoc est, in unâ suarum ὑποστάσεων in sui consortium humanitatem assumpsit. Totiq; cujusdam familiæ σύσσωμος καὶ κοινωνός fio, etiamsi non omnibus illius familiæ personis τῷ σώματι jungar, aut ex illis descendam: Sic potest aliquid totius cujusdam fieri συμμέτοχον, ἢ κοινωνόν, etiamsi illi jungatur non in omnibus, sed in unâ saltem totius parte: De toto quopiam ὅλως considerato rectè & verè dicitur, quod tamen non nisi parti totius propriè convenit. Sic Τριὰς est totum quoddam, cui rectè & verè dixeris humanitatẽ factam esse internam, licèt in unâ tantùm Τριάδος illius personâ.

5. *Quomodo filius Dei vocetur* λόγος? R. 1. κατὰ τὸ ἔσω ad intra, respectu Patris, cujus est imago: sicuti enim λόγος vel sermo noster effigies est mentis nostræ: ita etiam filius est imago genitoris, totum genitorem in se exprimens & ostendens. 2. κατὰ τὸ ἔξω *ad extra*, respectu nimirū 1. *omnium creaturarum*, quia per λόγον omnia facta sunt, *Ps.* 33. v. 6. *Ioh.* 1. v. 3. 2. Ecclesiæ, quia est Legatus, patris voluntatem revelans. *Ioh.* 1. v. 18.

DISPUTATIO IV.

De

PERSONALI DUARUM IN CHRISTO NATURARUM UNIONE.

Respondente M. PETRO TURDINO Both.

THESIS I.

Extra controversiam (ὁμολογουμένως, ex confesso) magnum pietatis Mysterium est: DEUS *manifestatus est in carne.* 1. *Tim* 3. v. 16. in quod etiam angeli desiderant παρακύψαι h. e. semiclausis quasi oculis introspicere 1. *Pet.* 1. v. 12.

παρακύπτειν *significat inclinato, vel prono capite, & propenso collo accuratè aspicere, vel quasi per transennam aspicere.*

II. Sed non minus verè quàm scitè *Ambrosius lib.* 1. *de vocatione gentium C.* 7. *quæ Deus, inquit, occulta esse voluit, non sunt scrutanda; quæ verò manifesta fecit, non sunt negligenda, ne in illis illicitè curiosi, in his damnabiliter inveniamur ingrati.* Nihil ergo ab officio nostro alienum facimus, revelatum hoc mysterium altiori mentis indagine scrutantes.

III. Ut autem brevem quandam hujus mysterij ex verbo Dei revelato faciamus delineationem, quatuor id includemus partibus. 1. *qualis* sit unio duarum naturarum in Christo. 2. *quid* sit. 3. *qua sit illius forma*, vel in quo *formaliter* consistat. 4. *quales sint propositiones exinde resultantes.* De singulis or-

dine ἐν ᾧ ἔφαχεν *ex propria hujus articuli sede* sententiam nostram explicabimus.

IV. Sedes autem hujus articuli propria, ex quâ de propositis quæstionibus judicium formari volumus, extat *Joh.* 1. v. 14. *Luc.* 1. v. 37. 1. *Tim.* 3. v. 16. 17. *Hebr.* 2. v. 14. 16. *Col.* 2. v. 9. *Gal.* 4. v. 4.

V. *De primâ*: unio duarum in Christo naturarum appellatur in Ecclesiâ orthodoxâ *Personalis* (*non personarum*) quia in personâ τῦ λόγυ est facta, ita ut utriusq; naturæ sit una, eademq; hypostasis, in quâ tàm Divina quàm humana Christi natura subsistit, licèt illa hypostasis non *æquali ratione* utriq; naturæ tribuatur, sed *divina per se & naturaliter*; *humana verò per unionis gratiam Col.* 2. v. 9. *Hebr.* 2. v. 16. &c.

ὑπόστασις in genere *est modus existendi, quo quævis persona seu natura singularis ratione prædita ut individuum perfectum non* in alio sive ad modum partis sive accidentis &c. sed per se ad modum totius, *independenter subsistit.*

VI. Humana enim Christi natura non est 1. ἀνυπόστατος, persona per se subsistens, vel propriam hypostasin habens. 2. nec est ἀνυπόστατος h. e. omni subsistentiâ carens, sed 3. ἐνυπόστατος subsistens in ipsa personâ τῦ λόγυ. Ergo ipsa ὑπόστασις verbi facta est hypostasis carnis, *Damasc. l.* 3. *c.* 9. & 11. Et *per consequens* duarum naturarum in Christo est tantùm una persona, unde & dicta est unio *personalis.*

VII. *De secunda*: Unio personalis est veræ & perfectæ humanitatis, *propriâ* tamen personalitate destitutæ, in ipsam τῦ λόγυ ὑπόστασιν assumptio, quâ ὁ λόγος, qui ab æterno persona fuit, humanæ naturæ, quæ persona non fuit, propriam suam personalitatem, ac paritèr cum illâ naturam suam divinam verè ac realitèr communicavit, ut ita ex duabus naturis ἀσυγχύτως ἀτρέπτως ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως in una hypostasi unitis, unum constitueretur ὑφιστάμενον, vel persona σύνθετος, quæ sic est, verèq; dicitur θεάνθρωπος Deus-homo, vel ἄνθρωποθεος homo-Deus, *vide dicta Scripturæ supra citata.*

Unio-

Unionis personalis duarum in Christo naturarum requisita sunt tria. *1. mutua naturarum præsentia. 2. indistans illarum* περιχώρησις. *3. Utriusq; naturæ in unâ personâ conjunctio ad unum ὑφιστάμενον constituendum.*

VIII. Constat ex his, quod *eâdem unione* Verbum sit homo, quâ homo est verbum; *non unô tamen unionis modô*: Verbum enim unitur humanitati, seu fit homo τῷ προσλήψει h. e. *assumptione activâ*: Humanitas autem unitur divinitati τῷ προσλήψασθαι h. e. *assumptione passivâ*; seu Verbum fit homo subsistentiam vel hypostasin *activè communicando* humanæ naturæ: vicissim caro fit λόγῳ *communicatam hypostasin à* λόγῳ *recipiendo*: Verbum enim in unione est *assumens*; Humanitas verò est τὸ *assumptum Heb. 2. v. 14. 16.*

IX. *De Tertia*: forma unionis personalis consistit in intimâ eâq; mutuâ naturarum περιχωρήσει, immeatione, & ineffabili participatione, vel communicatione, propter quam Deus de homine, & homo de Deo *vere ac realiter* enun-

enunciatur. Nam ubi naturarum unio, ibi quoq; communio; Infimus siquidem hic conjunctionis gradus est, qui absq; mutuâ communicatione perficitur. *Vnde B. Lutherus in 53. C. Esa.* hanc universalem regulã tradit: *ipsa communio unit* (formaliter sc.) *duas istas naturas in unam personam. Heb. 2.*

X. Etsi verò hæc naturarum περιχωρήσις sit mutua, ex *solâ* tamen divinitate τοῦ λόγου provenit: *sola* enim divinitas est *principium* illius ἐνεργητικὸν; sed humanitas est *subjectum* illius παθητικόν, *ut liquet ex §. 8.*

Tria *sunt requisita* περιχωρήσεως *personalis* 1. *realis naturarum distinctio, 2. Una utriusq; naturæ* ὑπόστασις. *3. arctissima duarum naturarum in unâ* ὑποστάσει *conjunctio, ad unum* ὑφιστάμενον *constituendum.*

XI. Et differt hæc duarum naturarum in Christo περιχώρησις 1. à περιχωρήσει personarum S. S. Trinitatis; *illa* fit in unitate personæ; *hæc* in unitate essentiæ: Hinc *illa* dicitur *personalis, hæc* verò *essentialis* 2. totô quoq; *genere* differt à reli-

à reliquis unionis & communicationis speciebus.

XII. *De quarta*: ex hac personali duarum in Christo naturarum unione resultant prædicationes *singulares* (in scholis Philosophorum) *planè inusitatæ*, aliàs *ratione subjectæ materiæ personales dictæ*, quia unionem personalem duarum naturarum in Christo arguunt, earumq; vis, natura, veritas & connexio ex unione personali judicanda est: Istius generis prædicationes sunt; *Deus est homo & homo est Deus*; Atq; his sunt æquipollentes, quæ extant 2. *Sam.* 7. v. 19. *Jer.* 23. 5. *c.* 33. 15. *Matth.* 16. v. 16. *C.* 22. v. 43. *Luc.* 1. v. 23. *Rom.* 1. v. 3. *&c.*

XIII. In his prædicationibus *personalibus* prædicatur *concretum unius naturæ, de concreto alterius naturæ*, quia in personâ τῆ λόγῳ subsistit *tùm* Divina ipsius natura ab æterno, *tùm* humana à primo conceptionis momento. Cõsiderantur ergo hic naturæ, *non in seipsis, uti absolutè sunt vel existunt, sed respectu u-*

nionis, quatenus nimirum in una ὑποστάσει unitæ sunt & subsistunt. His manum de tabulâ.

COROLLARIA.

I. Quomodo filius dicatur *imago Dei*? Resp. 1. *respectu Patris* (1.) *propter originem*: Imaginis namq; natura requirit, ut sit expressa ex re, cujus est imago. (2.) *propter relationem*: Imago enim dicitur *non ad se, sed ad aliud*, cum omnis imago repræsentet archetypũ, à quo producta est. (3.) *Propter convenientiam*: quia imago est nota convenientiæ: conveniunt enim in *fundamento* imago & res imagine expressa (4.) *propter differentiam*: imago enim involvit distinctionem, sicut omnia relata; nam ratione *fundamenti* conveniunt, sed ratione *termini* differunt. 2. *respectu nostri*, quia ex ipso *tanquam imagine* Deum Patrem, ejusq; voluntatem cognoscimus.

II. An personæ SS. Trinitatis *modaliter* vel *realiter* ab invicem distinguantur? Resp. Utrumq; asserimus: *moda-*

modalis enim distinctio *aliquando* media statuitur inter realem, & rationis, & tum *realis* distinctio *speciatim* significat eam, quæ est inter distinctas res, & diversas realitates: *Rationis verò distinctio* significat eam, quæ ab intellectu tantùm proficiscitur: *aliquando* modalis distinctio reali subjicitur, quatenus realis distinctio est omniú eorum, inter quæ differentia est, intellectu etiam non cogitante: juxta *priorem* significationem statuimꝰ personas SS. Trinitatis ab invicem discriminari *modaliter*; juxta *posteriorem verò realiter*.

III. An *miraculosè* Christi actiones fieri potuerint in corpore Christi, ut tamẽ maneret *verum* corpꝰ? Resp. Quod sic: factæ enim sunt *virtute divinâ, humanæ Christi naturæ per & propter unionem personalem, salvis proprietatibus illius naturalibus, communicatâ*.

IV. An detur *numerus* in SS. Trinitate, ita ut pater dicatur *prima*, filiꝰ *Secunda*, & Spiritus S. *tertia* persona? Resp.

Resp. Numerus accipitur 1. *strictè*, & sic *tres* requirit conditiones (1.) ut sit multitudo quædam, unô mensurata. (2.) ut sit quâlibet parte major. (3.) ut unitates inter se sint realiter distinctæ. 2. *Communiter* pro qualibet pluralitate rerum, sive essentialiter eæ distinctæ sunt, sive non: juxta *hanc posteriorem* significationem in Trinitate personarum numerum dari statuimus.

V. Quomodo vox, *unum*, sit accipienda, cum Deum *numerô unum* statuimus? Resp. Accipienda est, non ut *principium numeri*, sed *prout convertitur cum ente*, & prout unum nihil aliud est, quàm *ens indivisum*: sic enim unũ nihil addit enti, nisi *negationem divisionis*: unus enim numerô est Deus i. e. maximè unus est.

VI. Quid sit *æternitas*? Resp. æternitas est essentialis Dei proprietas, quâ ipse *idem* semper est *sine principio, sine successione, & mutatione & sine fine*: Requisita ergo *æternitatis* sunt *tria*. 1. ut

sit sine principio. 2. sine successione & mutatione. 3. sine fine.

DISPUTATIO V.
De COMMUNICATIONE IDIOMATUM IN CHRISTO.

Respondente CLAUDIO JOHANNE THESselesio Wiburg.

THESIS I.

EX *unione Personali* fluit *communicatio idiomatum* vel *proprietatum*: *Hac* enim *illâ naturæ ordine* posterior est.

II. De *hac* ergo & nos ordinem *naturæ* lege definitum sequentes *tria* exhibemus ζητήματα publicè discutienda. 1. *Quid sit.* 2. *Qualis sit.* 3. *Quotuplex sit.*

III. De *primo*: Communicatio Idiomatum est divinarum humanarumq; proprietatum vera & realis participatio, quâ propter unionem duarum naturarum in Christo hypostaticam non

non tantùm utriusq; naturæ Idiomata Christo θεανθρώπῳ, verùm etiam alterutrius naturæ propria, alteri, hoc est, λόγῳ assumenti humana, & assumpto homini divina attribuuntur; Et propter eandem κοινωνίαν unaquæq; natura operatur cum communicatione alterius, naturis tamen earumq; proprietatibus servatis illæsis.

Per Idiomata *intelligimus illas naturarum proprietates & differentias, quibus tanquam notis & characteribus quibusdam naturæ à se invicem discernuntur & dignoscuntur.*

IV. De *Secundo*: Qualis est Unio, talis etiam est Idiomatum Communicatio: Qualitas autem hæc in præcedenti definitione describitur θεικῶς & ἀνθρωπικῶς.

V. θεικῶς quidem, quod sit 1. *Realis & vera*: non enim est nuda prædicatio seu phrasis, & modus tantum loquendi, cui nihil rei aut veritatis subsit, sed in rei veritate ita existit, ut verbis exprimitur. Sic *verè* (non *verbaliter*) filius Dei natus est ex semine David Rom. 1, 3. Et filius Hominis habet

potestatem Judicij faciendi, *quia* filius Hominis est Joan. 5, 27.

VI. 2. *Hypostatica vel Personalis*: sit namq; propter Unionem duarum naturarum in Christo hypostaticam, extra quam ejusmodi Idiomatum Communicatio ne quidē cogitari potest: Intelligenda igitur est non de naturis *separatis*, sed in Christo *Personaliter Unitis*.

VII. 3. *Reciproca*: non enim tantùm utriusq; naturæ Idiomata, Christo θεανθρώπῳ verùm etiam alterutrius naturæ propria, alteri, h.e. λόγῳ assumēti humana, & assumpto homini divina attribuuntur: Et propter hanc κοινωνίαν unaquæq; natura operatur cum communicatione alterius.

Sicuti unio personalis est reciproca, ita & communicatio, quia hæc ab illâ dependet: Et sicuti modus illius est diversus, ita & hujus.

IIX. Quamvis autem communicatio Idiomatum sit mutua & reciproca, *ratio* tamen vel *modus* Communicationis propter *naturarum diversitatem*

tatem est longè diversissimus: Divina enim τῆς λόγου natura est principium Communicationis ἐνεργητικὸν: Humana verò natura est subjectum illius παθητικὸν: *illa* est immutabilis & perfectissima: *hæc* mutabilis & indiga: *Illa* exaltat; *Hæc* exaltatur; *Illius* est dare: *hujus* accipere.

IX. Ἀντιθετικῶς verò, quod non fit *essentialis* vel *naturalis*, sed quod fiat naturis, earumq; proprietatibus servatis illæsis: Nam sicuti duæ in Christo naturæ, ita quoq; illarum omnes proprietates Essentiales, in ipsa Unione & Communicatione Personali, semper distinctæ, & citra omnem cōfusionem, exæquationem, & conversionem, perpetuò salvæ & integræ manent.

X. De *Tertio*: *Tria* in Sacris literis monstrantur nobis *Genera* Communicationis Idiomatum: *Primum* gemina sub se complectitur membra: *Prius est*, quò λόγου naturam humanam

nam intra suam Hypostaseos unitatem assumendo, simul realiter sibi appropriavit omnia assumptæ naturæ humanæ Idiomata, unde etiam appellatur ἰδιοποίησις, appropriatio: Sic Filius Dei *verè* dicitur natus ex muliere, passus, mortuus, & sepultus &c. *Act.* 20, 28. *Gal.* 2, 20. c. 4, 4. 1. *Tim.* 3, 16. 1. *Ioh.* 1, 1. 2. *Rom.* 8, 32. Dominus gloriæ crucifixus est. 1. *Cor.* 2.

XI. Ad *hoc prius* membrum primi Generis Communicationis Idiomatum etiam *illud* pertinet, quô Humanæ naturæ *Communicata* gloria, ipsi λόγῳ seu Filio Dei tribuitur: quæcunq; enim de Humana Christi naturâ sive per *naturalem conditionem*, sive per *& propter communicatam gloriam* dici possunt, ipsi quoq; Filio Dei attribuuntur. Huc referuntur illæ propositiones Heb. 1, 3. *Filius, qui est splendor & character Patris, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis.* Item v. 8. & 9. *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo latitiæ.* Ps. 45, 8. Hîc enim de Filio Dei enunciantur talia prædicata

cata, quæ ipsam communicationem gloriæ includunt.

XII. *Posterius* est, quô toti Personæ Christi utriusq; naturæ propria, *alterius* quidem naturæ respectu per communicationem idiomatum, *alterius* verò per naturæ proprietatem attribuuntur; unde vocatur ratione *subjecti* συναμφοτερισμός: ratione *prædicati* ἐκατέρωσις. Quia enim Christus est unum ὑφιστάμενον, vel una Persona σύνθετον. h.e. composita ex divina & humana natura, utriusq; etiam naturæ Idiomata *toti Personæ* attribuuntur, *alterius quidem naturæ respectu per communicationem, alterius vero per naturæ proprietatem* Matt. 28, 20. 1. Cor. 8, 6. 2. Cor. 13, 5. Col. 3, 11. Luc. 2, 11. Matt. 22, 24. 2. Tim. 2, 8. Rom. 8, 34. c. 14, 9. &c.

XIII. Ea propter ne Idioma de Christo enunciatum utriusq; naturæ proprium existimetur, sæpius per distinctivam particulam, *secundum cuius naturæ proprietatem* tribuatur, ostenditur Act. 2, 30. Rom. 9, 9. 2. Cor. 13, 4. 1. Pet. 3, 18. c. 4, 1.

Quamvis enim utriusq; naturæ propria prædicentur de totâ personâ, non tamen fiunt propria utriusq; naturæ, ideoq; adhibentur distinctivæ particulæ.

XIV. Ad *hoc posterius* primi Generis Communicationis Idiomatum membrum pertinet & *illud*, quò Humanæ naturæ communicata Majestas toti Personæ Christi attribuitur: Quæcunq; enim de Humana Christi natura sive *per naturæ proprietatẽ sive per majestatis & dispensationis conditionẽ* dicuntur, eadem quoq; de Christo enunciari possunt: Sic Christus dicitur Dominus factus, ad dexteram Dei exaltatus &c.

XV. *Secundũ Communicationis Genus est*, quò λόγος seu Filius Dei humanæ naturæ in personæ suæ unitatẽ assumptæ omnem divinæ suæ celsitudinis gloriam, & Majestatem verè, realiter, atquè ita communicat, ut quæcunq; ille habet *per essentiam*, Humana natura (non *separatim in se, sed*) *in filio Dei subsistens*, habeat *per Unionis & Communicationis gratiam* Col. 2, 3, 9. Dan. 7, 13, 14. Phil. 2, 5. *Matt.* 28, 18. & 20. *cap.* 18, 20. *Joh.* 6, 51, 53. *Matt.* 1, 21. Brevius: communicatio majestatis est, quando divinæ naturæ proprietates, earumq; operationes tribuuntur humanitati subsistenti in personâ λόγου. Appellatur hoc Genus à Græcis μεταπτώσις, quæ cum ἰδιοποιήσει conjuncta facit ἀντίδοσιν *Damascenianam*, *Damasc. de Orthod. fide l. 3. c. 3. post medium*: *Quæ humanæ sunt, verbum sibi attribuit, vel appropriat; nam ipsius sunt, quæ sanctæ ipsius carnis sunt; & vicissim tradit carni suæ, vel quæ sunt divina secundùm alternæ traditionis modum, propter naturarum in se invicem accessionem & immanentiam, & secundùm hypostaticam unionem. Et l. 3. c. 4. Et iste modus est alternationis, alternataq; attributionis, alterutrius naturæ propria alteri vicissim reddentis, propter hypostaseos identitatem, & ipsarum invicem immanentiam vel immeationem.*

XVI. *Tertiũ Communicationis Genus est*, quò actiones θεανδρικαὶ, & θεοπρεπῶς θεανδρικὰ attribuuntur toti Personæ, &

vocatur à Græcis κοινοπάθησις. Huc spectant seqq. sacrarum literarum testimonia 1. *Cor.* 15, 3. *Gal.* 1, 4. *c.* 3, 14. *Eph.* 5, 2. *Heb.* 2, 9.

XVII. De hôc genere tenenda est Regula Concilii Chalcedonensis: Utraq; natura in Christo agit, quod cujusq; proprium est, sed cum communicatione alterius h. e. utraq; natura operationes suas naturales ad unum ἀποτέλεσμα producendum confert, ita tamen, ut divina τοῦ λόγου natura exerat suas operationes in, cum, & per naturam Humanam; & vicissim appropriet sibi omnes actiones humanas.

MANTISSÆ.

I. *Iohann.* 17. v. 5. Christus orat Patrem inquiens: *Et nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quàm mundus fieret, apud te.* Ubi *quinq;* ζητήματα consideranda veniunt 1. *Quis se glorificari petat?* 2. *juxtà quam naturam Christus se glorificari petat?* 3. *à quo & apud quem se petat glorificari.* 4. *qualem gloriam petat.* 5. *quando & quomodo sit glorificatus:* Ad hæc omnia & singula ordine & breviter respondebimus: Et quidem ad 1. Christum Filium Dei unigenitum sublevatis in cœlum oculis glorificationem sui Patrem cœlestem rogasse, v. 1, 2. Rogavit autem Christus non *juxta Deitatem*, quæ est *in & per se* adorabilis, non adorans, sed *juxta humanitatem*: *Actus* enim *orandi* Christo *juxta humanam naturam* competit, juxta quam etiam oculos in cœlum sublevasse dicitur v. 1. sed *pondus* additur precibus à *Divinâ ipsius naturâ*, ut sint validæ ad impetrandum id, quod petitur, non secus ac passioni, quam Christus juxta humanâ naturâ sustinuit, pondus & efficacia à Divinâ ipsius naturâ additur, ut sit sufficiens λύτρον ad redimendum genus humanum. Ad 2. Christum non *secundùm divinam*, sed *humanam naturam* se glorificari petijsse: Juxta quam enim naturam Christus *in tempore* est glorificatus, juxta eandem quo-

quoq; se hîc *in tempore* glorificari petiit inquiens: *Et nunc clarifica me &c.* Glorificatio enim in tempore facta petitioni Christi per omnia respondet: Sed *iuxta humanam naturam* Christus *in tempore* est glorificatus: Juxta *divinam* namq; *naturam* gloriam istam ab æterno cum Patre habuit communem, uti h. l. expressè testatur: Ergo juxta *humanam naturam* se hîc *in tempore* glorificari petijt. Ad 3. glorificari se petijt, nõ ab Angelis, vel hominibus; nec apud Angelos, vel Homines; sed *à Patre suo cœlesti, & apud Patrem cœlestem*, quod observetur contra *illos*, qui hanc glorificationem exponunt de *solâ* gloriæ *patefactione & declaratione: Glorificatio enim* apud ipsũ Deũ facta *non consistit in solâ manifestatione & declaratione: Glorificatio hæc Christi est apud ipsum Deum Patrem facta*: Clarifica me, *inquit Christus*, tu Pater, *apud temetipsum &c. Ergo.* Ad 4. Christum petijsse gloriam, non *creatam aliquam* vel *finitam*, sed *divinam, æternam, & infinitam*: *Gloria*

via enim, quam Christus, ut verus Deus, habuit ab æterno apud ipsum Patrem, non est finita & creata, sed infinita & increata: Atqui Christus, ut homo, eam gloriam in tempore petiit, quam ut verus Deus ab æterno apud ipsum Patrem habuit. Clarifica me, *inquit Christus*, claritate, quam habui prius, quàm mundus fieret, apud te. *Ergo ista gloria, quam ut homo in tempore petit, non est creata & finita, sed increata ac infinita.* Nota contra *Photinianos*, quod Christus istam gloriam ab æternõ habuerit reali ὑπάρξει vel existentiâ, non solâ προγνώσει, vel quoad solam Dei prædestinationem: τὸ habere enim est actus ejus, qui reipsâ existit. Ad 5. Christum *hominem in ascensione ad cælos* glorificatum esse *reali sui* per exaltationem ad dexteram Dei *traductione in plenarium gloriæ & majestatis divinæ usum.* Concludimus ergo, quod hæc glorificatio non fuerit nuda manifestatio & declaratio (quam tamen illi *adjunctam* fuisse non negamus) sed vera & realis evectio & exaltatio ad plenari-

nariam gloriæ divinæ usurpationem: Et sic Christus, ut homo, est 1. glorificatus apud Deum in ipsâ rei veritate, nempe exaltatus ad dexteram Dei, 2. est manifestatus & declaratus Angelis & hominibus, ut Rex & Dominus cœli & terræ.

II. *Joh.* 3. v. 13. ait Christus: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Tria h. l. de Filio hominis prædicantur 1. *quod descenderit de cœlo* 2. *quod sit in cœlo*, 3. *quod sit in cœlum ascensurus.* Ubi nota: 1. Per *Filium hominis* non intelligitur λόγος ἄσαρκος, sed ἔνσαρκος h. e. tota Christi persona, cui hæc tria prædicata *juxta humanam naturam* attribuuntur. 2. Per *Cœlum* hic intelligitur, non cœlum *aereum & stelligerum*, nec *Beatorum*, sed *divinæ celsitudinis, majestatis, & sublimitatis*, ad quam Christus, *ut Homo* per unionem personalem, quoad κτῆσιν; per ascensionem verò in cœlos, & subsequentem ad dexteram Dei exaltationem quoad plenariam illius

κτῆσιν, evectus est. 3. *descendere de cœlo*, significat h. l. formâ Dei *quoad universalem, plenarium ac incessantem Majestatis divinæ usum* se evacuare, & formam servi assumere, quod patet ex *oppositâ* Phrasi *ascendere in cœlum*, quæ notat 4. depositâ formâ servili ad universalē, plenarium ac incessantem Majestatis ac gloriæ divinæ usum exaltari. 5. *esse in cœlo* significat τὸ πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς possidere. Sensus ergo hujus dicterij Christi ex asse respondet illi Paulino *Philip.* 2. v. 6. & seqq. Estq; talis: *Nemo hominum vel Angelorum ascendet in cœlum* (h. e. ad Universalem, plenarium ac incessantem Majestatis ac gloriæ divinæ usum exaltabitur) *nisi, qui descendit de cœlo* (h. e. qui formâ Dei quoad Universalem, plenarium ac incessantem Majestatis divinæ usum se prius evacuavit) *Filius hominis*, i. e. Christus ut homo, *qui est in cœlo* (h. e. qui propter unionem personalem in statu quoq; exinanitionis est cœlestis conditionis, Majestatis & potē-

potentiæ cum Patre & S. S. vel quòd idem: in quò tota plenitudo Deitatis σωματικῶς habitat.)

DISPUTATIO VI.

De TERGEMINO CHRISTI OFFICIO.

Respondente JACOBO LANGSTADIO Erffurtensi.

INter alia, quæ Servatori nostro, vel *personæ* vel *alterius naturæ*, vel *officij* respectu in S. Literis assignantur nomina, haud postremum obtinet locum nomen *Christi* h. e. Uncti *Act.* 10. v. 38. 1. *Cor.* 10. v. 9. *Heb.* 13. v. 8. &c. complectitur enim illud sub se *triplex* ejusdem *officium*, *Propheticum*, *Sacerdotale*, & *Regium*: Unctus namq; est Servator noster à Spiritu S. præter mensuram in Prophetam, Sacerdotem & Regem nostrum *Joh.* 3. v. 34. *Ps.* 45. v. 8.

II. De

II. De hôc ergo *tergemino* Christi officio ut mentem quoq; nostram in publicâ συζητήσει declaremus, ordinis ratio postulat.

III. De I. Officium Christi *Propheticum* est, quò nos de voluntate Patris sui cœlestis & viâ ad salutem æternam erudit, *Deut.* 18. v. 18. *Matth.* 17. v. 5. *Esa.* 61. v. 1.

IV. *Partes* hujus officij *duæ* sunt; 1. *Immediata* Evangelij promulgatio: Ipse enim Christus consilium DEI de redemtione generis humani *immediatè* h. e. per semetipsum in Evangelio promulgavit *Joh.* 1. v. 18. *Heb.* 1. v. 1. 2. Ministerij publici institutio: Ipse enim ministerium verbi & usum Sacramentorum ordinavit Matth. 28. &c. Marc. 16. Matth. 26. Marc. 14. Luc: 22.

V. Hôc munere propheticò Christus hodieq; perfungitur *mediatè* per ministeriũ Ecclesiasticum *Luc.* 10. v. 16.

VI. De II. Officium Christi *Sacerdotale* est, quò perfectissimam legi

divinæ obedientiam præstitit, atq; sepsum pro peccatis totiꝰ mundi hostiâ semel obtulit, & perpetuò pro nobis apud Patrem cœlestẽ intercedit *Heb.* 9. v. 12. 25. c. 10. v. 10. 14. 1. *Pet.* 2. v. 24. c. 3. v. 18. *Rom* 8. v. 33. 1. *Joh.* 2. v. 1. *Heb.* 9. v. 24.

VII. *Partes* hujus officij *duæ* sunt (1.) *satisfactio*, quam præstitit Christꝰ 1. *agendo* vel obedientiâ *activâ*, quâ legi obediens factus eandem in omnibus suis partibus perfectissimè loco nostri adimplevit *Matth.* 5. v. 17. *Rom.* 10. v. 3 Gal. 4. v. 4. 2. *Patiendo* vel obedientiâ *passivâ*, quâ ignominiosissimam mortem in arâ crucis pro nobis pertulit, ut nos à morte & æternâ damnatione liberaret, 1. *Joh.* 2. v. 2. *Philip.* 2. v. 18. 1. Pet. 2. v. 24.

VIII. Quia enim post lapsum πρωτοπλάστων obligati sumus legi *cùm* ad obedientiam, *cùm* ad pœnam, Christꝰ non modò obedientiam, quæ nostrâ ex parte deficiebat, in se recipere, sed etiã pœnas transgressoribus constitutas subire patiendo voluit, ut & *omissionis* defectum suppleret obedientiâ activâ, h. e. perfectissimâ legis impletione, & *commissionis* peccata expiaret obedientiâ passivâ, h. e. acerbissimâ atq; ignominiosissimâ suâ passione & morte.

IX. (2.) *Intercessio*; Christus enim pro peccatis nostris non tantùm satisfecit, verùm etiam vi meriti & satisfactionis præstitæ advocatum nostrũ apud patrem agit, pro nobis interpellat & orat. *Rom.* 8. v. 33. 1. *Joh.* 2. v. 1. *Heb.* 9. v. 24.

X. Intercedit a. pro nobis, non ita, ut supplex quasi jaceat coram patre cœlesti prostratꝰ, sicut in diebus carnis suæ fecit *Matt.* 26. v. 39. sed *quatenus suâ passione & intercessione illa solenni Joh.* 17. *promeruit, ut preces nostræ DEO forent gratæ, opemq; ab ipso impetrarent.*

XI. Et licèt quoq; Spiritus S. pro nobis interpellet gemitibus inenarrabilibus *Rom.* 8. v. 26. ἄλλω tamen ἀλλ' ἄλλῳ παρακλήψεως τρόπῳ id dicitur de

Christo & Spiritu Sancto: *Christus* enim intercedit pro nobis ἱλαστικῶς, *vi meriti & satisfactionis præstita*: *Spiritus S.* verò ἐνεργητικῶς (1.) *applicando nobis illud meritum* per ministerium verbi & usum Sacramentorum: (2.) *pios gemitus & suspiria ad Deum nobis immittendo, orare & clamare nos faciendo, preces in nobis serias & ardentes reddendo, fiduciamq; in animis nostris de exauditione infallibili accendendo*: quò spectat illud *Pauli Rom.* 8. v. 16. Sæpe enim Scriptura id, quod nos facimus excitati à DEO, ita tribuit Deo, ut dicatur DEUS ipse illud facere: Sic DEUS ipse dicitur cognovisse *Gen.* 22. v. 22. quod tantummodò fecit alios cognoscere.

XII. Porrò officium hoc Christi *Sacerdotale* tàm *ratione satisfactionis, quàm ratione intercessionis* est Universale & efficax, non tantùm quoad *valorem soluti pretij*, sed etiam *quoad intentionem* tàm Patris Filium suum ad redimendum universum genus humanum mittentis, *quàm Filii* λύτρου pro eo solven-

solventis, licèt *ratione applicationis* fiat particulare, & inefficax, *quatenus* maxima pars hominum meritum Christi incredulitate suâ rejicit, & sic propriâ culpâ reatum æternæ damnationis sibi attrahit *Es.* 53. v. 6. *Rom.* 5. v. 18. 2. *Cor.* 5. v. 5. 1. *Tim.* 2. v. 6. c. 4. v. 10. *Ose.* 13. v. 9. *Matth.* 22. à v. 1. *usq; ad* 14. *Luc.* 14. à 16. *usq; ad* 24. &c:

XIII. *Tertiò*: Officium Christi *Regium* est, quo omnia in cœlo & in terrâ potenter gubernat, Ecclesiam suam grâtiâ suâ fovet, & electos in cœlo ineffabili gloriâ & honore coronat, ut in æternum cum ipso vivant & regnent; reprobos verò æternæ damnationi adjudicat, ut in inferno sine fine crucientur. *Ierem.* 23. &. 33. Zach. 9. v. 9. Ps. 2. v. 6. Ps. 110. v. 2.

XIV. Quamvis autē Regnum Christi *quoad essentiam* sit unum, veruntamen *quoad diversum administrationis modum* in 4. dispescitur q. *species* quarū *priores* duæ respectum habēt ad *hanc*; *posteriores* v. ad *alteram* vitam: Respectu

ctu *huius vitæ* distribuitur in regnum 1. *potentiæ*, quod est generale dominium super creaturas in cœlo, & in terrâ 2. *Gratiæ*, quod est specialis operatio misericordiæ in Ecclesiâ: Respectu *alterius* in regnum *iustitiæ* & *gloriæ*, quod conspicitur in resuscitatione mortuorum, ac universali judicio *tum* reproborum ad damnationem, *tum* electorum ad æternam beatitudinẽ.

XV. Tandem describitur hoc regnum Christi *duobus insignibus qualitatibus* 1. quod sit *Spirituale*, quia non mundanô, sed spirituali & cœlesti modo administratur. Joh. 18. v. 38. 2. Cor. 10. v. 4. 2. *Æternum*, quod omni fine caret. Luc. 1. v. 33. Dan. 2. v. 44.

XVI. Post Universalem ergo mortuorum resurrectionem Christus tradet regnũ Deo patri 1. *Cor.* 15. v. 24. non per *translationem illius à se in patrem*, *sed per plenam naturalis regni redintegrationem*: Tunc enim plenè redintegrabitur regnum, quod Deus naturaliter in nos habet: siquidem redemptio.

generis humani, & ad eam relatum officium Christi mediatorium in hunc finem tetendit, ut sub regnum & imperium Dei, à quo defeceramus, reduceremur, cujus *reductionis initium* quidem fit in hâc vitâ, *complementum* autem *ejus* demum in alterâ vitâ fiet, sublatis è medio omnibus regni Dei hostibus. v. 25. 26.

COROLLARIA.

I. Nomina officij Christi sunt diversi generis: quædam ad officium regium & sacerdotale simul pertinent; quædam etiam ad officium Propheticum simul. Sic vocatur Messias vel Christus, Jesus, Mediator, & Pastor respectu Prophetici, Sacerdotalis & Regij officij.

II. *Joh.* 5. v. 22. inquit Christus: *Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* De Patre hîc *duo* enunciantur 1. *quod non judicet quenquam*, sc. separatim ac seorsim, & immediatè: Judicat tamen in Filio

suo *Act.* 17. v. 31. *Ioh.* 8. v. 50. c. 14. v. 10. 2. *quod omne iudicium dederit Filio* &c. Ubi *tria* in considerationem veniunt 1. *dationis subiectum*, quod est *Filius Dei*, ὅτι, *quatenus* (sic enim ista particula etiam accipitur 1. Joh. 3. v. 9.) *Filius hominis est* v. 28. Particula ergo ὅτι non est h. l. ἀιτιολογικὴ causalis, sed διορισικὴ καὶ δεικτικὴ, determinativa & demonstrativa, h. e. ostendit naturam, cui hæc potestas judicialis sit communicata. Communicata autem est Christo *juxta carnem* statim in & per unionem hypostaticam. Sunt tamen ex Patribus nonnulli, qui hoc dictum explicant de Christo *juxta Deitatem*, & de *datione ab æternô factâ*: sed nos autoribus suis sententiam istam relinquimus. 2. *dationis objectum*, quod est *omne judicium*: statim quidem in ipsâ unione hypostatica & per illam Christo ut homini communicatum est *omne judicium*, sed *plenarium istius exercitium* Christus in statu exinanitionis evacuavit, & non evestigiò edidit. Sic namq; Pater dedit

dit Filio suo jus & potestatem judicandi, ut eam quoq; actu ipsô exerceret, sed *ordine* & *tempore divinitùs præstituô*. 3. *dationis finis & effectum*: Pater dedit Filio omne judicium, *hac* sc. *intentione*, ut eum (*in statu exaltationis*) omnes (*credentes*) honorent, *sicut* Patrem. Ubi notandum, quod particula, *sicut*, præcisè respiciat *ipsam honoris cultûsq; divini* ταυτότητα seu *identitatem*, quod *eôdem modô* Filius sit colendus, *quô* Pater.

III. *Matth.* 28. v. 19. inquit Christus: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ.* Ad hoc dictum sequentia sunt annotanda 1. quod hîc Christus de *semetipso* loquatur, non ut *Deo*, sed ut *Homine*. Juxta Deitatem enim ipsi nihil dari potest, quod non habuerit antè: Ergo quæcunq; in tempore Christo data leguntur, *juxta humanitatem* ipsi data intelliguntur. 2. quod hîc Christo *ut Homini* sit data *potestas* non *creata* & *finita*, sed *increata*, *divina ac infinita*: ideoq; notanter addit Christus descri-

ptionem nulli, præterquam *divinæ potestati*, convenientem: Data est mihi, inquit, *omnis potestas in cœlo & in terrâ*: Usitatum enim est Scripturæ, ut immensam & infinitam Dei potentiam *additione cœli & terræ* circumscribat, 1. *Paral.* 29. v. 11. *Psal.* 103. v. 19. *Matth.* 11. v. 25. Quando igitur Christo, *ut Homini*, dicitur communicata potestas *in cœlo & in terrâ*, appellatione *cœli & terræ* potestas illa non limitatur, sed paraphrasticè describitur, & per μεϱισμὸν docetur, quàm latè illa potentia pateat; atq; ita est illustris notatio divinæ & infinitæ potestatis: *Breviter*: Sunt istæ particulæ non *limitativæ*, sed *paraphrasticè descriptivæ*, & *ampliativæ* potestatis divinæ. In græco textu appellatur ἐξουσία, quam nõnulli distinguũt à δυνάμι, ita ut πᾶσα ἐξουσία sit πάσης δυνάμεως plenũ exercitiũ, & habeat se tanquã *actus secundus*, ad πᾶσαν δύναμιν tanquam *actum primum*, adeoq; *hanc*, quam non minùs ac *illam* Christo *ut Homini* datam esse legimus *Apoc.* 5. v. 12. præsupponat.

ponat. Voluit ergo 3. Christus h. l. indicare, *potentiam divinam* sibi *ut Homini* esse *datam* non tantũ *quoad κτῆσιν*, quod factum in primo statim incarnationis momento; verùm etiam *quoad* plenariam ejusdem *χρῆσιν*, quod in ascensione & ad Dexteram Dei exaltatione contigit, ad quam *potissimùm* Christus h. l. digitum intendit.

IV. *Marc.* 13. v. 32. ait Christus: *De die autem illâ vel horâ nemo scit, neq; Angeli in cœlo, neq; Filius, nisi Pater.* Ad hunc locum tenendũ est, quod Christus *quà Homo in statu κενώσεως* nescierit diem novissimum non tantùm *actu naturali* & humanitati proprio, verùm etiam *actu personali, quatenus* nimirum is cum κενώσει erat conjunctus, non tamen *ex vi & efficientiâ actûs personalis* h. e. Christus, *quà homo, in statu exinanitionis*, etiam *in actu personali* spectatus, *propter factam κένωσιν* plenarii usûs omniscientiæ divinæ revera nescivit diem extremi judicij: Quamvis enim omniscientia divina Ipsi, *ut Homini*

mini, etiam *in statu exinanitionis* revera fuerit communicata Col. 2. v. 3. non tamen in eo statu se *plenarie* in & per humanam naturam exeruit, sed radios duntaxat quosdã *particulares*, quando nimirum id gloriæ Dei, ratio officij & salus hominum flagitabat, per eam sparsit, adeò ut rectè dicamus, Christum *ut hominem exinanitum* quædam ignorasse non tantùm *respectu scientiæ humanæ*, sed etiam *divinæ*, propter κένωσιν intervenientem plenarij usûs ejusdem. Perquàm absurdi autem sunt, qui à statu κενώσεως ad statum ὑπερυψώσεως, & à negatione actûs secundi ad negationem actûs primi argumentantur: Non enim V. C. Si quis ita inferat: *Christus ut homo in statu exinanitionis quædam ignoravit: Ergo & in statu exaltationis quædam ignorat.* Item: *Christus ut Homo in statu exinanitionis ignoravit diem extremi judicij; Ergo non fuit omniscius.* Porro ne quis hinc colligat, *nos, Christo homini ignorantiam tribuendo ipsum peccati reum agere*, probè notan-

notandum venit 1. ignorantiam *per se* non esse peccatum, aliàs proto-plasti quin imò Angeli in peccatis essent cõditi. 2. ignorantiam esse *duplicis* generis: *alia* est luci salutaris agnitionis Dei opposita, quæ alienissima est à Christo; *alia* verò est perfectioni habitûs & consummatæ scientiæ opposita, quæ per liberam οἰκονομίαν cum habitu servili à Christo est assumpta. Philip. 2. v. 6.

DISPUTATIO VII.

DE GEMINO STATU CHRISTI,

Uno Exinanitionis, *altero* Exaltationis.

Ex Philipp. 2. v. 6. 7. 8.

Respondente NICOLAO OLAI Calmariâ-Sueco.

THESIS I.

IN sacro Codice exhibetur nobis Christus *in gemino statu* contemplandus 1. κενώσεως, *exinanitionis*, in-

quo

quo à primo conceptionis & incarnationis momento constitutus fuit usq; ad glorioſam corporis ſui reſuſcitationem: 2. ὑπερυψώσεως, *exaltationis*, in quem Chriſtus poſt glorioſam corporis ſui reſuſcitationem eſt translatus & collocatus. Utrumq; breviter numine divino adſpirante, ex ſede hujus articuli propriâ, quæ extat ad *Philip.* 2. v. 7. 8. delineabimus conſideraturi.

1. *Exinanitionis & Exaltationis ſubjectum.*
2. *Utriusq; modum.*

De Exinanitionis

II. *1. Subjecto.* Subjectum Exinanitionis eſt duplex (1.) ἐνυπάρξεως, *inhæſionis* ſeu *Phyſicum*, quod eſt humana Chriſti natura: Apud Deum enim (& ſic in divinâ ipſius naturâ) nulla eſt converſionis obumbratio Jac. 1. v. 17. 2. καταγορίας, *denominationis* ſeu *Logicum*, quod eſt Chriſtus θεάνθρωπος, perſona σύνθετος, καὶ ἔνσαρκος: Actiones

nes enim & paſſiones ſunt totius ſuppoſiti vel perſonæ.

III. Exinde reſultat hæc propoſitio: *Chriſtus ſecundùm carnem vel humanam naturam eſt exinanitus*: & quæ cum hac *quoad ſenſum* coincidit: *Chriſtus ſecundùm ſolam carnem eſt exinanitus*: Particula enim *excluſiva* diſcrimen duntaxat naturarum exprimit, minimè verò perſonam excludit. Ea propter non immeritò falſitatis arguitur, atq; è ſcholâ Theologorum Orthodoxorum rejilitur Neſtoriana iſt hæc propoſitio: *Sola humanitas Chriſti exinanita eſt*: quippe quâ perſona ipſa à participatione hujus idiomatis humani omninò excluditur.

IV. Errant & è Calvinianis iſti, qui exinanitionem, quâ de Apoſtolus ſuprà citatô locô agit, *vel* immediatè de ipsâ incarnatione Filii Dei interpretantur, *vel* ad Deitatem referunt: Apoſtolus enim 1. non de eo agit, quomodo Filius Dei ſit homo factus, ſed quomodo Chriſtus, qui

jam

jam Deus & Homo erat, *formam servi* h. e. *conditionem servilem assumpserit*: Et *servi* namq; *formam* humana natura *propriè* intelligi nequit, cum Christus, depositâ formâ servi, verus homo permanserit. 2. De λόγῳ ἁρπάζω non rectè dicitur, quod sit in formâ Dei, cum ipsemet Deus sit 3. Exinanitio, quam Paulus Christo tribuit, in immutabilem Verbi Deitatem minimè cadit, quippe quæ nec passioni, nec morti ullô modô obnoxia. 4. Exaltatio, de quâ h. l. agitur, ad humanitatem Christi necessariò refertur; Ergo & eam antegressa exinanitio. 5. Humiliatio seu dignatio, quâ λόγος carnem assumpsit, *Patribus dicta inclinatio misericordiæ*, differt ab exinanitione, quâ de Paulus hôc locô, 1. *tempore*, 2. *modô*. 3. *naturâ*: *illa* dicitur humiliatio incarnationis; *hæc* passionis.

V. II. *Modô*: Exinanitio describitur ab Apostolo *duobus* modis 1. στερητικῶς, *privativè*, & sic dicitur κένωσις exina-

exinanitio, evacuatio, vel abdicatio Majestatis divinæ, quâ de Apostolus ita edisserit: ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε. Verùm ut genuinum dicti hujus Apostolici sensum rectè percipiamus, singula Verba ordine enucleabimus.

VI. (1) Vox μορφῆς in S. codice nusquam accipitur pro ipsâ essentiâ sive formâ substantiali, sed tantùm pro specie externâ seu formâ accidentali.

VII. (2) μορφὴ θεοῦ non notat simpliciter naturam divinam, sed naturæ divinæ gloriam, splendorem & Majestatem, *quatenus in operationibus externis elucet, atq; foris se conspiciendam præbet*: Deitas enim est invisibilis, forma Dei visibilis.

IIX. (3.) τὸ ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχειν, *in formâ Dei existere* significat, propter unionem personalem cum λόγῳ, in quô humana Christi natura personaliter ὑπάρχει, divinô honore prædi-

tum esse, divinam Majestatem exercere, atq; operibus externis sese ut Deum glorioſum oſtendere.

IX. (4) ἁρπαγμὸς probatis autoribus *proprie* direptionem ipſam ſignificat; *hîc* verò idem eſt, quod τὸ ἁρπαγμα, res direpta.

X. (5) Verbum ἡγεῖσθαι cùm alibi tùm inprimis in hac ad Philipp. Epiſtolâ, *quinquies* uſurpatum, idem ſignificat Apoſtolo, quod *certò ſtatuere, indubitatò ſcire.*

XI. (6) Τὸ εἶναι ἴσα θεῷ ſignificat, *eſſe æqualiter Deo*: Neutrum enim plurale locô adverbij ponitur. Differunt autem τὸ εἶναι ἴσον θεῷ *eſſe æqualem Deo*; & τὸ εἶναι ἴσα θεῷ *eſſe æqualiter Deo*: *Prius* non niſi pertinet ad Chriſti Deitatem; *poſterius* ad humanitatem: Unde etiam Chriſtus ſecundùm Humanitatem non dicitur ἴσος θεῷ, ſed potius ἰσόθεος, ſicut Nazianzenus ipſum appellat ἰσόθεον: *Prius* ταυτότητα, *poſterius* ποιότητα: *Prius* poſſeſsionem Majeſtatis divinæ *naturalem*; *poſterius* verò *perſonalem*, ex gratiâ unionis Chriſto homini conceſſam deſignat.

XII. (7) Τὸ κενοῦν ſignificat *exinanire, evacuare*; unde κένωσις, exinanitio, evacuatio, quæ ſemper notat privationem, licèt *non Phyſicam, realem* tamen & *veram.*

XIII. Exinanitio autem hîc intelligitur, non reſpectu 1. κτήσεως ſeu *poſſeſſionis Majeſtatis* divinæ, nec 2. *Univerſæ vel omnis & cuiuslibet*, ſed 3. *Univerſalis, totalis, plenariæ ac inceſſabilis illius* χρήσεως: Tota namq; Deitatis & Majeſtatis divinæ plenitudo, etiam in profundiſſimæ exinanitionis ſtatu, habitavit in carne Chriſti, tanquam in proprio ſuo templo Col. 2. v. 9. Et quoties *Gloria Dei*, ratio *officii* & *ſalus hominum* poſtulavit, toties quoq; *particulares* quosdam radios Majeſtatis ſuæ divinæ in carne ſuâ eluceſcere fecit Joh. 1. v. 14. ſed *univerſali, totali, & plenario* illius *uſu* juxta carnem ſe abdicavit, ut ita pro peccatis hominum expiandis pati & mori poſſet.

XIV. 2. θετικῶς, *positivè*, seqq. verbis: μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ. Occurrunt hîc iterum quinq; vocabula, quorum significationem propriam & genuinam nos quoq; breviter ob meliorem sententiæ Paulinæ intelligentiam explicabimus.

XV. (1) Per μορφὴν δούλου *propriè, primò & immediatè* non ipsa humanitatis assumptæ substantia, ac proinde nec per illius assumptionem ipsa τοῦ λόγου incarnatio, sed ejusdem (humanitatis sc.) servilis in statu exinanitionis conditio, ejusq; temporalis assumptio denotatur; quod ipsum manifestum evadit ex eo, quod Christus in statu exaltationis formam quidem servi, non autè humanitatem ipsam deposuerit: Differunt ergo ab invicē forma servi, & humana Christi natura *formaliter*, ità tamen, ut *illa hanc* tanquam proprium suum subjectum præsupponat.

XVI. (2) τὸ ὁμοίωμα notat conformitatem vitæ quoad operationes & infirmitates naturales cum reliquis hominibus, ipsamq; humilitatis profunditatem. Utitur autem Apostolus in hisce verbis *Hebraismo*: In similitudine hominum factus h. e. *hominibus similis* factus est.

XVII. (3) Τὸ σχῆμα sumitur h. l. *generatim* pro Universâ σχέσει & habitudine hominis, quâ sese homo quoquò modò ad alios, quibus cum versatur, componit, sive cum Deo, sive cum Angelis, sive cum hominibus, alijsve creaturis agat. Sic Christus *respectu Dei*, σχῆμα humanum in eo ostendit, quod flexis genibus & sublatis manibus orat, quod verbum Dei discit, docet, quod Patrem glorificat: *Respectu Angelorum*, quod eorum ministeriò & consolatione erigitur: *Respectu Diaboli*, quod ab eo se tentari patitur: *Respectu hominum*, quod donis creatis & finitis proficit, parentes & Magistratum colit, amicis & inimicis

benefacit, hominum colloquiô, convictu & conversatione delectatur, infantibus se benignum Patrem, adultis amicum præstat: *Respectu aliarum creaturarum*, quæ in hominis usum sunt conditæ, & *rerum artificialium*, quæ in hominis usum paratæ, quod cibô & potu ad corpus sustentandum utitur, quod vigilat, dormit, ingreditur, stat, sedet, esurit, sitit, defatigatur, vestibus induitur, quæ à moribus hominum aliorum non abludebant.

XVIII. Ea dicitur per omnem vitam repræsentasse Christo ὡς ἄνθρωπος, quô loquendi genere Apostolus Christum non negat esse hominem *verum*, negat autem esse hominem *nudum & merum*.

Particula ὡς 1. *notat divinæ naturæ* ἀληθότητα 2. *negat humanæ naturæ* ψιλότητα.

XIX. (4) Vox ὑπήκοος indigitat obedientiam Christi, quam Patri suo cœlesti nostri locô præstitit, & *legem implendo, & maledictionem ejus in se suscipiendo*: Ut enim in primi Adami inobedientiâ duo concurrebant, *culpa & reatus*; ita & in secundi Adami obedientiâ, propter expiationem illius præstitâ, duo similiter concurrerent necessum erat, *pœnæ luitio seu obedientia passiva*; & *perfecta legis observatio, seu obedientia activa*.

XX. Christus autem factus est obediens Patri cœlesti non tantùm *propter nos*, sed etiam *pro nobis*; *Illud* notat bona positiva à Christo nobis acquisita; *Hoc* bona privativa à nobis per Christum ablata.

XXI. (5) Particula ἄχρι (usq; ad mortem) designat non tam temporis longitudinem, quàm ipsius obedientiæ intensionem.

XXII. Ex quibus omnibus emergit *verus & genuinus dicti hujus Apostolici sensus esusmodi*: Quamvis Christus secundùm humanitatem suam in primo conceptionis momento per & propter unionem personalem totam plenitudinem Deitatis & Majestatis divinæ accepit & possedit, (quô respectu

ab Apostolo, etiam in statu humiliationis dicitur ἴσα θεῷ, aqualiter Deo fuisse) ejusq; radios nonnullos in operibus suis miraculosis non rarò exeruit (*unde quoq; in statu exinanitionis dicitur ἐν μορφῇ θεοῦ, quoad particulares sc. quasdam operationes, extitisse*) tamen eam non superbè ostentavit, *semper, ubiq; & incessabiliter eam usurpando*, ut rapinam ostentare solent, qui devictis hostibus spolia detraxerunt, sed *plenariô atq; Universali* illius usu in statu humiliationis juxta carnem se abdicavit & evacuavit, quoad infirmitates & operationes naturales aliis hominibus similis factus, & in actionibus vel ad Deum, vel Angelos, vel homines, vel ad alias res sive creatas, sive arte paratas relatis ut homo inventus semetipsum humiliavit, & legi divinæ perfectissimam obedientiam locô nostrô præstitit, ejusq; maledictionem in se suscepit & sustulit.

XXIII. Colliguntur ex antè dictis *duo porismata*: 1. Exinanitionem *tempore*

pore quidem simul factam esse cum conceptione & incarnatione, *ordinis tamen ratione* conceptionem & incarnationem priorem esse exinanitione, 2. Sub exinanitionis statu comprehendi Christi in utero gestationem, nativitatem, ætatis, roboris & sapientiæ incrementum, paupertatem, passionem, mortem & sepulturam; Et *ut συλλήβδην dicam*, omnes infirmitates, quas (*dempto peccato*) nobiscum communes habuit, & totũ illud tempus, quod inter primum ortũ conceptionis atq; nativitatis ipsius, & inter resuscitationem corporis intervenit, *exceptis specialibus actionibus divinis, & miraculis*, per quæ Majestatis illius divinæ, per unionem acceptæ, radij quidam sub illâ formâ servili emicabant.

De Exaltationis

XXIV. (1.) *Subiecto.* Subjectum Exaltationis duplex est 1. *quod*, Christus ἀνθρωπος vel ἀνθρωπότης, personæ σύνθε-

σύνθετον, καὶ ἐνσαρκον. 2. *quo*, humana Christi natura: Nam 1. juxta quam naturam Christus est exinanitus, juxta eandem quoq; est exaltatus: At juxta assumptam humanam naturam est exinanitus, ut ex antecedentibus liquet. Ergo. 2. Juxta quam naturam Christo ex gratiâ donatum est nomen supra omne nomen, juxta eandem quoq; est exaltatus: Hoc enim demonstrat συνέπεια textûs Apostolici: ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. At non juxta divinam, sed humanam naturam Christo ex gratiâ donatum est nomẽ, quod est supra omne nomen: *Divina enim natura non indiget honoribus sublimari, aut dignitatis profectibus augeri &c. Vigil. l. 5. cont. Eutych.* Ergo non juxta Divinam, sed humanam quoq; naturam est exaltatus, vel *ut Vigil. l. c. loquitur*, honoratus, coronatus, & melioris nominis dignitatem adeptus. 3. Demonstratur idipsum quoq; tritâ & inconcussâ orthodoxæ antiquitatis regulâ:

gulâ: *Quacunq; scriptura dicit Christo data esse in tempore, illa non secundum Deitatem, sed secundum assumptam humanitatem ei data intelliguntur &c.*

XXV. (11.) *Modô*: Exaltatio hæc Christi duobus modis consideratur 1. *ratione initii*, quod factum est in gloriosâ corporis ipsius resuscitatione. 2. *ratione complementi*, quod accepit in ascensione ad cœlos, & ad dexteram Dei exaltatione.

XXVI. De hôc statu exaltationis Apostolus Paulus ita porrò differit: διὸ καὶ ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται, ὅτι κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν θεοῦ πατρός. Hic iterum singula ferè verba singularem quoq; observationem, & accuratam ponderationem merentur.

XXVII. (1) Particula διὸ, *propterea* accipitur h. l. non αἰτιολογικῶς, sed ἐκβατικῶς, h. e. significat tantum modò conse-

consequentiam *ordinis*, *non causalitatis*, adeoq; voluit Apostolus ostendere, exinanitionem Christi fuisse intermediam quasi viam, per quam Christus transierit ad plenariam gloriæ cœlestis usurpationem, quod Christus ipse hunc in modum declarat *Luc. 24. v. 26. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

XXIIX. (2) Per θεὸν intelligitur tota SS. Trinitas: Opera enim *ad extra* sunt indivisa: Pater & Spiritus S. exaltarunt carnem Christi κατ' ἐξω: Filius verò κατ' ἐσω.

XXIX. (3) Per verbum ὑπερύψωσε (*superexaltavit, vel exaltavit in summam sublimitatem*) 1. non notatur *localis quædam altitudo*; cum absurdum sit dexteram Dei, ad quam elevatus est Christus, metiri velle celsitudine loci, atq; sic altitudinem egenæ creaturæ facere mensuram sublimitatis creatoris: Sed designatur hôc verbô, ὑπερύψωσε, *eminentia divinæ Majestatis*, quod & consequentia declarant. Nec intelligitur

ligitur 2. exaltatio *relativa*, quâ *respectu nostri* Deus dicitur exaltari, glorificari, nomenq; ejus sanctificari, quatenus nimirum à nobis talis, qualis seipsô est immutabiliter, agnoscitur & celebratur: sed *absoluta*, quâ Christus secundùm Humanam naturam ad dexteram Dei collocatus, non *respectu nostri*, sed *seipsô verè* exaltatus, & ex inferiori statu in sublimiorem *reipsâ* translatus est, Joh. 17. v. 2. 3. nec intelligitur novæ Majestatis *acquisitio*, sed plenissima ejusdem *manifestatio* & perfectissima *usurpatio*: Una siquidē & eadē *numerô* Majestas est, quæ Christo ex gratiâ unionis hypostaticæ obtigit, & quam nunc ad dexteram Dei plenissimâ usurpatione declarat: Alia tamen est hujus Majestatis ratio, quatenus *haberi seu possideri* dicitur ἐξιχῶς, alia verò quatenus *usurpari, exeri & exerceri* dicitur ἐνεργητικῶς: *Illud* unioni; *Hoc* sessioni Christi ad dexteram Dei æterni Patris tribuitur.

XXX. (4) Verbum ἐχαρίσατο notat

tat donationem gratuitam, quæ ceu digitô indice monstrat Humanam Christi naturam, cui facta, *respectu quidem κτίσεως* in primo unionis momento Col. 2. v. 9. *respectu verò plenarie, Universaliis ac incessabilis χρίσεως*, ad quam D. Paulus quoq; h. l. potissimũ respicit, in glorioſissimâ Christi ad dexteram Dei translatione *Eph.* 4. v. 10.

XXXI. (5) Per ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα h. l. notatur Majestas, *non creata & finita*, sed *increata, infinita & planè divina*, quatenus *actu secundo* se *plenissimè, Universaliter* ac *incessabiliter* exerit, in, cũ & per Humanam naturam assumptã: Est namq; Majestas *adorabilis*, cum sublimi religiosæ adorationis honore & plenario ac Universali Dominio conjuncta, ut ex seqq. verbis liquidissimè constat.

XXXII. (6) Phrasi, πᾶν γόνυ κάμψῃ, non notatur *politicus quidam honos*, qualiter coram Rege suo genua flectunt subditi: Distributio enim subjuncta, *Cœlestium, terrestrium, & infernorum*, complectitur etiam spirituales creaturas, Angelos & Diabolos, quibus externa genuflexio ἀτόπως tribuitur; sed *internus cultus mentis*, & sublimis ille religiosissimæ adorationis honor ceu digitô designatur.

XXXIII (7) Nomine 1. τῶν ἐπουρανίων, *cœlestium*, intelliguntur omnes sancti Angeli, hominesq; beatitudine cœlesti fruentes. 2. τῶν ἐπιγείων *terrestrium*, omnes homines in terris habitantes. 3. τῶν καταχθονίων *inferorum*, omnes diaboli, & homines damnati.

XXXIV. Quanquam verò Judæi, Mahumetani, aliiq; populi à Christianâ fide alieni, ut & Diaboli, ac damnati homines, nõ tantùm non prosequantur Christum religiosæ adorationis cultu, sed etiam horrendâ blasphemiâ afficiant, hinc tamen nihil decedit Apostolicæ assertioni: Apostolus enim 1. non tam *quid fiat*, quã *quid ab omni creaturâ fieri debeat*, exponit. 2. Licèt impii isti homines *in hôc seculo* detrectent Christum Jesum adorare

rare, necesse tamen habebunt *in novissimo die* ipsi tanquam glorioso Universorum Judici, nolentes volentes, genua flectere, & ad divinam, atq; adorandam ejus Majestatem æternùm contremiscere Rom. 14. v. 11. 12. 3. Diaboli ac damnati homines, etiamsi genua sua Christo non flectant *adorationis cultu ipsum prosequendo*, coguntur tamen ipsi genua curvare, *agnoscendo eum in dexterâ gloriæ Patris considentem*, ejusq; *imperio se humiliter subjiciendo, & coram Sacrosanctâ ejus Majestate contremiscendo* Eph. 1. v. 20.

XXXV. (8) Vox κύριος notat *dominium Universale*, cui subjecta sit omnis creatura: Hoc dominium obtinet Christus secundùm utramq; naturam; secundùm divinam *ex proprietate naturali*, secundùm humanam *ex unione* personali, & quidem in statu exinanitionis *actu primô*, in statu verò exaltationis *actu secundô, & plenariò illius usu*, ad quem D. Paulus πεφώτως h. l. respicit: Unde CHRISTUS & *natus & factus*

factus Dominus in S. literis appellatur, *natus* quidem ratione possessionis Majestatis & Dominij Luc. 2. v. 11. *Factus* verò per exaltationem ad dexteram Dei, ratione plenissimæ ἐνεργείας & usurpationis Act. 2. v. 36.

XXXVI. Ubi & hoc quoq; observandum venit, Christum in statu ignominiæ & *Servi* & *Domini* titulo insigniri; in statu verò gloriæ, conditione servili depositâ, solum *Domini* titulum sibi usurpare.

XXXVII. Ex his nunc meridianâ luce clarior fit textus hujus Apostolici verus & genuinus sensus, quod nimirum Christus juxta carnem à Deo per ascensionem in cœlos ad dexteram Majestatis adorandæ evectus incessabiliter regnet & gubernet omnia in cœlo & in terrâ Matc. 16. v. 19. Luc. 22. v. 69. Act. 1. v. 9. &c.

XXXIIV. Colliguntur ex antecedentibus *duo porismata*, quæ coronidis locô subjiciemus 1. Exaltationem *tempore* quidem *simul* factam esse cum

ἀναζωοποιήσεως h.e. resuscitatione corporis Christi, *ordine* tamen *ratione* hanc illâ priorem esse: Christus enim, resuscitatus ex mortuis, exaltabatur. 2. ad statum exaltationis *in totâ latitudine suâ* acceptum referri (1.) descensionem Christi ad inferos. (2.) ἀνάστασιν, resurrectionem h. e. vitæ per ἀναζωοποίησιν recuperatæ manifestationem. (3) ascensionem in cœlos. (4.) sessionem ad dexteram Dei. (5) judicium extremum.

COROLLARIA.

1. *Aliud* est esse in dexterâ Dei; *aliud* sedere ad dexteram Dei: Fuit quidem caro, & est in dexterâ Dei *per hypostaticam unionem* in ipso unionis momento: sedet autem ad dexteram Dei *per ad cœlos ascensionem*.

2. Paulus in suis Epistolis expressam mentionem nominis JESU inspargit tricies; nominis JESU CHRISTI centies, vicies semel; nominis CHRISTI JESU sexagies quater; nominis CHRISTI ducenties ter.

3. *An*

3. *An humana Christi natura fuerit peculiariter & seorsim subsistens* ὑφιστάμενον, *antequàm à* λόγῳ *assumeretur?* Resp. quod non: sed in incarnatione hæc tria simul facta, 1. naturæ humanæ περίληψις 2. ὕπαρξις καὶ 3. θέωσις: Post factam divinæ & humanæ naturæ in Christo unionem itidem natura humana non habet peculiarem & à λόγῳ distinctam ὑπόστασιν, sed ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ subsistit.

4. *An Deus sit ubiq;?* Resp. *quod* DEUS sit ubiq;, scimus, *quomodò* verò sit ubiq;, intellectu non capimus: Ubique tamen esse dicitur, non συνεκτῶς, ita ut comprehendatur, sed συνεκτικῶς, ita ut comprehendat omnia; vel quod idem est, non περιεκτῶς & περιγραπτῶς, ut circumscribatur, sed περιεκτικῶς, ut circumscribat. Dei enim omnipræsentia non est δεκτὴ, quæ capiatur, & ullâ re concludatur, sed δεκτικὴ, quæ capiat, & omnes res complexu suo contineat *Esa.* 40. v. 12. 13. 15. &c. Nulla ergo est consequentia: *si*

corpus Christi est ubiq; erit inclusum omnibus lignis, lapidibus, herbis, arborum foliis, cantharis cerevisiariis, aliisq; locis impuris &c. Est enim *ad modum dextera Dei*, ad quam sedet, ubiq;: Dextera Dei verò non est συνεκτῶς ubiq;, sed συνεκλικῶς, qui modus præsentiæ carni Christi per unionem personalem & sessionem ad dexteram Dei est communicatus.

5. *Quomodo Christus exiverit à Patre & venerit in mundum?* Resp. Christus dicitur exivisse à Patre, & venisse in mundum, quando factus caro seipsũ in sua humanitate evacuavit, & assumpta servili formâ indignissima, quæq;, ac mortem deniq; ipsam passus est: Non autem hic discessit à Patre *localiter*, *Iohan.* 14. v. 10. Ita etiam dicitur relinquere mundum (ut in eo *visibiliter & familiariter* amplius non conversetur cum hominibus, ut rea factum per annos 33. & amplius) & ire ad Patrem in cœlestem gloriam, quando per passionem, & depositâ formâ servili per resurrectionem,

nem, ascensionem & sessionem ingressus est ad cœlestem gloriam, collocatus ad dexteram Patris. Non igitur localis distantia fuit inter Christum & Patrem: Nec etiam æquè latè patent *ire ad Patrem & ascendere in cœlum.* Nam & tota passio pertinet ad abitum ad Patrem & resurrectio & sessio ad dexteram Dei. Nihilominus verè Christus adscendit in cœlum à terrâ, ubi intervalla maxima agnoscimus à terrâ per medium aërem, omnesq; ejus regiones, & quæ supra ea sunt, usq; ad cœlum.

DISPUTATIO VIII.

De MIRACULOSA ET SALUTIFERA SERVATORIS NOSTRI CONCEPTIONE ET NATIVITATE.

Respondente M. HENRICO BOISMANNO Wiburgo-Carel.

THESIS I.

NOn postrema pars est munerum, quæ D. Apostolus Rom. 12, 11. Jure divino ab omnibus Christianis exigit, τὸ nimirum δουλεύειν τῷ καιρῷ. Ut ergo & nos mandato Apostolico debitam præstemus obedientiam, studia quoq; nostra festo huic tempori accommodabimus, & disputationem publicam *de miraculosâ & salutiferâ Servatoris nostri J. C. conceptione ac nativitate* σὺν θεῷ adornabimus.

II. Ut autem ordine procedamus, tractationem hujus Thematis instituemq; juxta seriem circumstantiarū: *Quis,*

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

III. 1. *Quis conceptus & natus?* Jesus Christus Salvator *Luc.* 1, 31. c. 2, 11. *Matth.* 1, 21. Sed *juxta carnem Rom.* 1, 3. Quæcunq; enim toti Personæ Christi attribuuntur, *aut* secundùm Divinam tantùm, *aut* secundùm Humanam tantùm, *aut* secundùm utramq; naturam simul ipsi competunt.

IV. Nihilominus tamen Dominus ipse, Filius Dei, Filius altissimi verè per ἰδιωτικὸν dicitur, conceptus, natus & factus ex Muliere *Luc.* 1. 32. 35. c. 2. 11. *Gal.* 4: 4. Unde etiam Virgo Maria θεοτόκος rectè appellari potest *Luc.* 1. 35.

V. Ex quibus fluit hoc *Porisma*, Christum non esse φιλάνθρωπον, sed θεάνθρωπον, Deum & hominem in una Persona. Assignantur enim hîc ipsi nomina utriusq; naturæ propria, *qualia* sunt, Dominus, Filius altissimi; Infans, Filius Mariæ &c. Verùntamen est *unus* tantùm Dominus

1. Cor. 8, 6. *Vnus* Deus & *Vnus* Mediator Dei & Hominum, Homo Jesus C. 1. Tim. 2: 5. Verè ergo dicitur: Filius Mariæ est Filius Dei sc. *per & propter unionem duarum naturarum in Christo Hypostaticam Luc.* 1. v. 31. 32. 33. 35. C. 2. v. 7. 11. 12. 16 &c.

Nota 1. Christus unus est aut *per unam naturã*, aut *per unam personam: sed non per unam naturam: Ergo per unam personam.* 2. Humana natura *non est persona, sed personata, non* ὑπόστασις, *sed* ἐνυπόστατα, *non Deus, sed Deificata.*

VI. II. *Quid factum?* Virgo Maria concepit & peperit Filium suum *primogenitum Luc.* 1. v. 31. cap. 2. v. 7. Sic enim appellatur Christus *juxta Legem Exod.* c. 13. v. 2. Non quod Maria postea plures genuerit, sed quia ante hunc nullum peperit: juxta namq; Legem *primogeniti* dicebantur, quos nulli præcedebant alij, quamvis & sequerentur nulli.

Nota: Conceptio est actio Spiritûs S. miraculosa, qua virtute suâ omnipotente humanam Christi naturam, non consuetâ naturæ ordine, sed sine virili semine ex substan-

tiâ Mariæ Virginis in instanti creavit, atq; eam Filio Dei adaptavit.

VII. III. *Ubi?* Conceptus est Christus in Civitate *Galilææ*, cui nomen est *Nazareth Luc.* 1. 16. Et natus est in Civitate David, quæ vocatur *Bethlehem Luc.* 2. 4. 7. 11. Juxta Vaticinum Proph. *Michæa c.* 5. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel.* Vocatur autem *civitas Davidis*, quod Parentes Davidis in eâ domicilium suum tenuerint, atq; Filium suum Davidem genuerint. 1. *Sam.* 16.

Nota 1. Duplex fuit Bethlehem, altera *in tribu Zabulon Jos.* 19. *v.* 15. altera *in tribu Juda, quæ dicta est Ephrata Gen.* 35. *v.* 19. 48, *v.* 7. vel *ob fructuum abundantiam, à* פָּרָה *fertilis fuit*, vel *ab uxore Calebi, cujus nomen Ephrat 1. par.* 2 *v.* 19. vel *à primogenito filio Ephratæ, Patris Bethlehem 1 par.* 4 *v.* 4. 2. *Solet scriptura de urbibus loqui velut de hominibus, ideoq; nonnunquam utitur genere masculinò pro fœminino per Enallagen generis in scripturâ non infrequentem Gen.* 2. *v.* 15. *Sic Mich.* 5. *v.* 2. parvulus *ponitur pro* parvula.

VIII. IV. *Quibus auxiliis?* Mater Vir-

Virgo Maria Filium suum primogenitum virtute atq; operatione Spiritûs S. in utero suo conceptum in plenitudine temporis enixa est. *Luc.* 1, 35. *Spiritus S. super veniet in te, & virtus altissimi obumbrabit te, ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

IX. Hic *Tria sunt* attendenda 1. *De quo*, 2. *Ex quo*, 3. *In quo Christus* sit conceptus & natus.

X. 1. Conceptus est Christus *De Spiritu S.* cui quidem κατὰ λέξιν opus conceptionis attribuitur, ob id tamẽ reliquæ Personæ non excluduntur: *quando enim unus Trium in aliquo opere nominatur, an non universa Trinitas operari intelligitur? Ita sanè est, & exemplis affirmari potest, inquit August: in Enchirid. c. 38.*

Nota, Cum dico, de *Maria*, *est* de *materiale*; *Cum verò*, de *Spiritu*, *est* de *potentiale.*

XI. Cum autem Filius Hominis ἐκ πνεύματος ἁγίου *ex Spiritu S.* dicitur conceptus *in Symb. Apostolico & Niceno*, tum illud ἐνεργητικῶς, non σπερματικῶς h. e. non *materialiter*, ac si ex substantiâ

tiâ Spiritûs S. fuisset conceptus, sed *effectivè*, *vel* de virtute & operatione Spiritûs Sancti intelligendum est, ac propterea non est dicendus Filius Spiritûs S. quoniam *secundum Humanitatem* debebat esse ἀπάτωρ, sicuti *secundum Divinitatem* est ἀμήτωρ Hebr. 7. 3.

XII. Illa verò Spiritûs S. operatio complectitur. 1. *Formationem ipsius Humanæ naturæ Christi*, quæ singulariter erat mirabilis & mirabiliter Singularis, facta sine interventu viri & virilis seminis, Solâ immediatâ virtute altissimi. 2. *Sanctificationem massæ illius seminalis*, ex qua tanquam materiali causâ filius Hominis concipiebatur.

XIII. (2.) Massa ergo Seminalis in utero Virginis à Spiritu S. sanctificata, & ab omni immunditie purgata, fuit Causa Materialis, *Ex qua* Christus à peccatoribus segregatus, erat concipiendus. Natus autem est ex Matre Virgine Maria. Quemadmodum enim Maria concepit ut Virgo, ita & peperit ut Virgo. *Luc.* 1, 35. *c.* 2. 7. *Is.* 7, 14.

14 (3.) Con-

XIV. (3.) Conceptus verò est *In utero* beatæ Virginis tantùm, & non aliarum Mulierum simul, sicut per calumniam Calviniani nobis objiciunt: Soli enim Mariæ dictum: *Concipies in utero & paries* Filium *Luc.* 1, 31.

XV. IV. *Cur?* Ut peccata nostra tolleret 1. *Iohan.* 3, 5. *Matth.* 1, 21. Nos à maledictione Legis liberaret, atq; adoptionem filiorum Dei, æternamq; salutem nobis repararet. *Gal.* 4, 5. *Luc.* 2, 11.

XVI. V. *Quomodo?* Modus conceptionis & nativitatis Christi prorsus est miraculosus & μονότροπος. 1. *Ob immediatam Spiritûs S. obumbrationem.* 2. *Ob instantaneam carnis in utero Mariæ efformationem*: Siquidem non successivô motu, nunc hæc, nunc illa membra corporis sunt formata, & post absolutam membrorum creationem corpus demum animatum est effectum, quod in conceptione naturali alioquin fieri solet: Verùm ἐν τῷ νῦν in instanti, & in uno ictu creata fuerunt

runt & efformata omnia membra corporis, eaq́ animata, non inanimata, licèt postmodum sequentibus Mensibus ante partum, & annis aliquot post partum quoad quantitatem sua sumpserint incrementa. 3. *Propter intemeratam atq́ illæsam Matris Virginitatem*: Virgo enim concepit, Virgo peperit: quâ de causâ pleriq; Patres piè sentiunt, Clausò & non apertò uterô præter naturæ Leges natum esse Messiam nostrum: imò ut Maria ante partum, ut in partu, ita & post partum intemerata & inculpata Virgo fuit, & permansit *Esa.* 7. 4. *Luc.* 1. 27.

In primo Conceptionis momento totus λόγος *toti carni assumptæ unitus est*, ἅμα σάρξ ἅμα θεοῦ λόγου σάρξ. *Si membra corporis Christi successivè sunt formata, secundùm* prius & posterius *ista formatio facta est: Sed conseq est falsum. Ergo & antecedens.* Assumptum *probatur: Membra, quæ omnium primò sunt producta*, aut *erant unita* λόγῳ, aut *non erant: Si* hoc, *utiq́ propriâ subsistebant personalitate, quod est Nestorianum: Sin* illud, *sequitur, ipsam* ἕνωσιν ὑποστατικὴν *crevisse & auctam*

auctum fuisse pro acceßione membrorum, primò tempore non efformatorum, ἄτοπον καὶ ἀθεόλογον.

Lombard l. 3. Distinct. 2. Ex quo Deus hominem assumpsit, totum assumpsit. Et Filius Dei sibi construxit carnem animatam, non per additamenta, sed unò contextu absolutam. Damasc. l. 3. c. 2.

Humana natura non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsâ assumptione crearetur, & ipsâ creatione assumeretur. Leo. Magn.

XVII. VII. *Quando?* Tempus *Conceptionis* à *Damasceno lib. 3. c. 2.* exprimitur, *quod nimirùm facta sit illa σύλληψις ἀπὸ τὴν συγκατάβασιν, post assensum S. Virginis dicentis: Fiat mihi secundum Verbum tuum*, A. M. 3964. die 25. Martij: Tempus *Nativitatis* ab Apostolo exprimitur *in genere*, quod facta sit *in plenitudine temporis Gal. 4. 4. quibus verbis* procul dubiò respexit ad Vaticinium Danielis c. 9 24. *In specie verò* id determinatur ab Evangelistis, quod facta sit, Cæsare Augustò claves Imperij Romani tenente *Luc. 2. 1.* (Unde etiam Imperium istud vocatur, Das heilige Römische

sche Reich/ quia Sanctissimus in eo natus est.) Herode Ascalonitâ in solio Regio sedente *Matth. 2. 1.* Cyrenio Syriæ Præside existente. *Luc. 2, 2.*

Corollaria.

Q. 1. *An Spiritus S. rectè dicatur ingenitus* Resp. Vox *Ingeniti* accipitur 1. *indeterminatè* pro eo, qui nullâ planè ratione est ab alio. Et sic solus Pater est ingenitus. 2. *Determinatè* pro eo, qui non est ab alio per generationem: Et sic Spiritus S. quoq; dicitur Ingenitus.

Q. 2. *Quid sint affectus Dei?* Resp. Affectus Dei non sunt accidentia in Deo, sed ipsissimæ proprietates essentiales Dei, *quatenus* foràs progrediuntur & tribuuntur Deo *κατ' ἀνθρωποπάθειαν*, quando nimirum Spiritus S. semetipsum accommodat ad captum ingenij humani. Cum igitur affectus Deo attribuuntur, tum non significatur quædam mutabilitas in Deo, sed tantùm diversa opera Dei indicantur.

Q. 3. *An decretum divinum sit actus volun-*

voluntatis, vel intellectûs divini? Resp. Principium *quod* decreti divini est tota SS. Trinitas: Principium *quo* est duplex 1. *mediatum sive remotum*, quod est intellectus divinus. Judicium enim mentis divinæ, quò Deus judicavit bonum esse, ut aliquid extra seipsum existat, causa est decreti immediatè antecedens. 2. *Immediatum sive propinquum*, quod est voluntas divina: Decretum enim *formaliter* significat actû voluntatis, quò quis aliquid expensum vult fieri ratum.

Q. 4. *An voluntas & decretum Dei distinguantur.* Resp. distinguuntur *dupliciter* 1. *Ratione originis*: Voluntas enim ordine prior est decreto: Hoc enim ab illâ dependet. 2. *Ratione latitudinis*: Voluntas namq; Dei decretò est latior: Vult Deus seipsum: sed seipsum non decrevit.

Q. 5. *An decreta Dei sint libera, an verò necessaria?* Resp. Utrumq; verum est pro diverso respectu: *Necessaria* sunt quoad existentiam h.e. quatenus sunt

sunt actus voluntatis intrinseci in Deo existentes: *Libera* sunt, quoad terminationem ad objecta creata: Sicut hypostasis verbi est necessaria in se, liberè verò terminata fuit ad carnem assumptam.

Q. 6. *An ex distincta personarum Trinitatis apparitione posit a gui diversitas essentiæ* Resp. (1.) quod non; sed probatur exinde tantùm 1. personarum Trinitas. 2. Realis illarum distinctio. 3. Diversus apparitionis & manifestationis modus. (2.) In apparitionibus personæ ab invicem localiter erant separatæ, *quoad externas tantùm figuras*, quibus apparuerunt, non autem *quoad essentiam vel essentialem distinctionem*: Nam ex separatione signorum & figurarum externarum, separationem essentialem rerum, quarum illæ sunt figuræ, minimè licet colligere.

DISPUTATIO IX.

De

DE HYPOCRITICO, HÆRETICO ET SUPERSTITIOSO PAPISTARUM JEJUNIO.

Respondente CHRISTIANO ECCARDO Quedlinburg. Saxone.

VT tempori nos iterum accommodemus, *de hypocritico, hæretico & superstitioso Papistarum Jejunio* disputationem publicam exhibere animum induximus, quam, ne extra oleas vagemur, *quatuor* includemus partibus, de quibus ἐν βραχεῖ καὶ τάξει pro more nostro agemus.

I. προοίμιον, *quò explicatur propria vocis Jejunii significatio.*

I. Vox *Jejunii propriissimè loquendo* significat abstinentiam ab omni cibo & potu: Unde jejunare nihil aliud est quàm simpliciter ab omni cibo & potu abstinere.

II. Quo-

II. Quotiescunq; enim S. Scriptura mentionem facit jejunii *propriè sic dicti*, toties innuitur totalis abstinentia ab omni cibo, per quam corpus quodammodò affligitur, & anima humiliatur, vide sis loca Levit. 16. v. 31. Jud. 20. v. 26. 2. Sam. 12. v. 17. 1. Reg. 21. v. 5. Joel. 2. v. 15. Jon. 3. v. 7. Judith. 4. v. 9. c. 8. v. 6. c. 12. v. 9. 2. Sam. 3. v. 35. &c.

III. Ex hac descriptione *quatuor* fluunt *porismata*: (1.) *aliud esse jejunium & jejunare; aliud verò temperantiam, & temperanter vivere.*

IV. Temperantia enim *propriè loquendo* est virtus, quæ mediocritatem servat in expetendis & fruendis voluptatibus corporis, quæ gustum & tactum afficiunt: Unde temperanter vivere nihil aliud est, quàm justum modum observare in cibo, potu & Venere.

V. (2.) Imperfectam esse descriptionem jejunij, quam tradunt Pontificij docentes, jejunare nihil aliud

esse, quàm à cibis abstinere: Unde sic perperam ratiocinantur:

Abstinere à cibis est jejunare,
Abstinere à carne est abstinere à cibis.
Ergo abstinere à carne est jejunare.

VI. (3.) Jejunium Pontificiorum esse æquivocè, imò falsò dictum jejunium, cum revera tantùm sit discrimen ciborum: Unde etiam *Augustana Confessio* hujus articuli titulum non fecit de jejunio, sed *de discrimine ciborum*: Quis verò adeò bardus est, qui nesciat, longè diversa esse jejunare h. e. ab omni cibo & potu abstinere, & discrimen inter certos cibos observare, vel cibos discernere.

VII. (4.) Jejunium Pontificiorum esse prorsus fictum, cum, potu liberò relictò, in solo cibo occupetur: Jejunium autem *verè & propriè dictum*, nõ solum cibum, sed etiam potum respicit, quod imprimis patet exemplò *Christi*, *Mosis*, *Eliæ*, *Ninivitarum*, & aliorum, qui verè jejunarunt: Nam propter quas causas quis abstinere debet

bet à cibo, propter illas etiam abstinere debet à potu, & cumprimis à potu fortiori, cum ex immodico potu idem inconveniens sequi possit, quod ex esu carnis, vel aliorum ciborum immoderato.

II. κατάστασις, *status controversiæ formatio.*

VIII. His præmissis quæritur? *an tale Pontificiorum jejunium, quod abstinentiâ à carne, lacticiniis & ovis definiunt, & ad certos dies restringunt, sit S. Scripturæ consentaneum? & an eô possimus aliquid promereri apud Deum?* Orthodoxi negativam; Pontificij verò affirmativam tenent.

III. κατασκευὴ, *veræ Orthodoxorum sententiæ assertio.*

IX. Pro sententia negativa, quam Orthodoxi amplectuntur, militant seqq. argumenta ex S. Scripturis deprompta: Et (1) quidem ex dicto *Coloss. 2. v. 16. Christiani non debent diiudicari in cibo & potu. Ergo nec debent alligari ad certum discrimen ciborum; Et per*

conseq. nec ad Pontificium jejunium, quod formaliter in discrimine ciborum consistit: Ratio consequentiæ est manifesta, quia alligari ad certum discrimen ciborum nihil aliud est, quàm in cibo & potu dijudicari: Dijudicari autem in cibo & potu, nihil aliud est, quàm certum cibum non edere, & certum potum non bibere.

X. (2.) *Ex Matth. 15. v. 11. Nullus cibus in os ingrediens, sive sit caro, sive pisces &c. polluit hominem: Ergo nullius cibi usus prohiberi debet*: cum enim non polluat, quare prohiberetur? *Crapula* quidem & *ebrietas* polluunt, sed non *ipse cibus & potus*: Non enim quia hunc vel illum cibum edunt, hunc vel illum potum bibunt, sed quia *nimium* edunt, & *nimium* bibunt homines, polluuntur. *Abusus* ergo polluit, non *usus* cibi: Ex *illo*, non *hoc* oritur ebrietas & crapula.

XI. (3.) *Ex Rom. 14. v. 3, 6. Nemo sive manducet, sive non manducet carnem, debet judicari vel condemnari*, quia Domino vel in honorem Domini 1. Cor. 10. v. 31. manducat vel non manducat: *Ergo & nemini carnis usus est interdicendus certis diebus*. Ratio consequentiæ hæc est, quia per mandatum de non manducandâ carne certis diebus, omninò judicatur vel condemnatur homo: Apertè enim Pontificij condemnant eos, qui diebus Veneris & Sabbathi carnem edunt.

XII. [4] *Ex 1. Tim. 4. v. 3. Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: Ergo Pontificii malè faciunt, jubentes certis diebus à carne, lacticiniis & ovis abstinere*: Ratio consequentiæ est in aprico: Qui enim jubet abstinere à carne &c. is rejicit cibum, qui est bona Dei creatura, & cum gratiarum actione percipitur.

XIII. Quod verò hîc Pontificij excipiunt, Apostolum Paulum non damnare eos, qui jubent, sed qui prohibent abstinere à cibis, idq; ex constructione evincere volunt, ita ut Paulus non Pontificiæ, sed nostræ potius

tius Ecclesiæ sententiam oppugnet, id nullius momenti est: Verba enim (*abstinere à cibis*) non sunt construenda cum participio, *prohibentium*, sed *vel* est Elliptica locutio, & subintelligendum est participium *iubentium*; *vel* regitur à superioribus verbis, nempe à doctrinis Dæmoniorum: Explicat enim Apostolus, quænam sit doctrina Dæmoniorum, nempe, prohibere conjugium, & abstinere à cibis. Et hanc interpretationem ipse contextus & subjuncta ratio Apostoli evincunt, *quia omnis creatura Dei bona est* &c. quæ ratio aliàs esset irrita & nulla: Quàm inepta enim esset hæc ratiocinatio: *Qui prohibent abstinere à cibis, doctrinas Dæmoniorum docent, quia omnis creatura Dei est bona, quæ cum gratiarum actione percipitur*: Contrarium potius concludendum est.

IV. *Argumenta falsa Pontificiorum sententia refutatio.*

XIV. Pro sententiâ affirmativâ pugnant Pontificij tanquam pro aris & focis

focis, præsidium suum collocantes in seqq. S. Scripturæ locis *Matth.* 9. v. 15. c. 17. v. 21. *Jerem.* 31. v. 1, 2. & *seqq.* 1. *Tim.* 5. v. 25. *Act.* 15. v. 20. *Rom.* 14. v. 22. 1. *Cor.* 8. v. 13. *Act.* 13. v. 2. 2. *Cor.* 6. v. 5. *Ioan* 3. v. 7.

XV. Sed loca illa Scripturæ *vel* parum, *vel* omninò nihil patrocinantur jejunio Papistico: Agunt enim *vel* de vero & propriè sic dicto jejunio, quod à nobis minimè improbatur, sed multò magis commendatur: Licèt enim jejunium *per se* non sit cultus divinus, non tamen vel prohibitum, vel à cultu Dei alienum est, sed ad illum promovendum multùm prodest, eôq; nomine præclara in Scriptura testimonia & exempla habet: *vel* de abstinentiâ à certo quodam cibo & potu: Sed *neutri* conveniunt *requisita* jejunii fictitij Pontificiorum, quod ex mutuâ collatione evidenter apparebit.

XVI. Jejunium enim *Pontificium* 1. consistit in abstinentia à certis dunta-

xat quibusdam cibis, vel in diserimine seu delectu ciborum 2. occupatur tantùm in cibo, potu liberô relictô. 3. Præcipitur ab Ecclesiâ falsâ, quæ rationem jejunii ejusmodi præscribendo, vocem Christi haut sequitur, nec ob id audienda. 4. Præcipitur sub prætextu cultûs & religionis. 5. Sub lege necessitatis. 6. Sub ratione meriti. 7. Sub ratione veri & propriè sic dicti jejunii. 8. Sub reatu peccati mortalis. 9. omnibus hominibus. 10. restringitur ad certos aliquos septimanæ dies, vel ad certa aliqua anni tempora. 11. obstringit ad perpetuam observantiam.

XVII. Hæc enumerata Jejunii Pontificii requisita non conveniunt jejunio vero, nec abstinentiæ, cujus facta mentio in locis allegatis: Unde nectimus tale argumentum:

Cui non conveniunt omnia & singula jejunii Papistici requisita, id nihil facit ad illud stabiliendum:

Jejunio & abstinentiæ, cujus Scriptura in locis

locis allegatis facit mentionem, non conveniunt omnia & singula jejunii Papistici requisita. Ergo jejunium & abstinentia, cujus Scriptura in locis allegatis facit mentionem, nihil facit ad jejunium Papisticum stabiliendum.

COROLLARIA.

1. *Q. An licitum sit Christianis suffocatô & sanguine vesci? Negativa* arridet nonnullis, qui zelum habent, sed non secundùm scientiam: Præceptum enim illud ab Apostolis *Act.* 15. v. 28 29. repetitum, in quo fundamentum sententiæ suæ ponunt, 1. non est *morale*, sed *ceremoniale*; Ergo nec 2. *perpetuum*, sed *temporale*, quod Apostoli ad tempo observari volebant, donec Judæi nuper ad Christianismum conversi in Evangelicæ religionis & libertatis cognitione pleniùs confirmarentur, animiq; ipsorum cum gentilibus meliùs coalescerent. Nec 3. ab Apostolis ἁπλῶς & *simpliciter*, sed tantum κατὰ τι h. e. *respectu* tùm *temporis*, tùm *causæ finalis* appellatur *necessarium*. Quoniam e-

am enim *tum temporis* Ecclesia N. T. in cunabulis q. erat, & ex utroq; populo per amicabilem societatem cõalescere debebat; Judæi verò nuper ad Christianismum conversi in Evangelicæ religionis & libertatis cognitione nondum plenè confirmati erant, temporis illius conditioni dandum aliquid fuit, & Christianâ libertate ita utendum, ne Judæi isti tam subitâ legum ceremonialium mutatione, quarum quædam *directè* non impediebant Christianismum, & promiscuò gentilium victu, quò Judæis interdixerat Deus Gen. 9. v. 4. Lev. 7. v. 26. Deut. 14. v. 3. & seqq. offenderentur, & populi utriusq; coalitio atq; Ecclesiæ unio impediretur. Extra hunc autem scandali respectum decretum illud neminem obligabat, ac proindè non multò pòst cessabat.

2. Q. *An omnis ieiunandi ratio in Ecclesiâ Lutheranâ improbetur?* Resp. Negatur; Sed Ecclesia Lutherana cum S. Scripturâ (*Esa.* 58. v. 5. *Zach.* 7. v. 5. *Matth.*

Matth. 6. v. 15.) *abusus* duntaxat jejuniorum ita reprehendit, non ut ipsa jejunia *per se simpliciter* abjiciat, sed ut veram eorum rationem & usum ostẽdat, qui est, ut caro coërceatur, ne spiritui obluctetur, utq; mens liberiùs & ardentiùs vacare possit pœnitentiæ, orationi, & reliquis pietatis exercitiis.

3. Quæ cultui divino inserviunt, faciunt hoc *vel* ὀργανικῶς, ut templa, altaria & feriæ; *vel* διαθετικῶς, ἢ ὡς ἀσκητικῶς, ut jejunia, castigationes corporum, abstinentia; *vel* σημειωτικῶς, ut Sacci & cineris usus: Hæc enim testatam faciunt humilitatem cordis, Deoque placent non *per se*, sed *propter aliud*.

4. Vox Ecclesiæ est vox Christi, si vox Ecclesiæ in S. Scripturâ continetur, aliàs non est audienda.

5. Caro non *per se* sed *in excessu* sumpta & comesta impedit preces & studium pietatis.

DISPV-

DISPUTATIO X.

De CRUENTA PASSIONE ET MORTE CHRISTI.

Respondente M. NICOLAO LAURENTII Nycopensi Sueco.

THESIS I.

DE passione Domini publica ut instituatur disquisitio, *temporis ratio* iterū postulat, de qua hic multa quidem non inconvenienter tradi possent; Verùm ut instituti nostri rationem habeamus, prolixitatem hinc omnē facessere jubentes breviter ea tantùm perlustrabimus, quæ maximè huc spectare videntur.

II. Ne autem ab hôc nostro proposito, certâ methodô destituti in devia abripiamur, certis cancellis hoc thema nostrum includemus, & primò quidem breviter *passionis Dominicæ descriptionem* delineabimus, quam *juxta seriem circumstantiarum, quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, dilucidè explicabimus.

III. Passio Salvatoris Domini nostri Jesu Christi est sensus iræ Dei, à nobis in Christum derivatus, ut omnes homines à peccatis & eorumdē suppliciis æternis liberaret, ac vitæ æternæ hæredes restitueret. *Descriptio.*

IV. Ex hac descriptione liquidò constat, Christum ipsum pro peccatis nostris passum esse; quod ipsum quoque Symbolum Apostolicum astruit: *Credo in Christum Jesum Filium eius unigenitum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus*: unde rectè statuimus, filium Dei ab æterno à Patre genitum passum esse. *Quis.*

V. Idem testantur S. Scripturæ dicta *Act.* 20. v. 28. *Act.* 3. v. 15. *Dux vitæ est interfectus*, 1. *Iohan.* 1. v. 7. *Rom.* 5. v. 8. 1. *Cor.* 2. v. 8. &c.

VI.

Quid? VI. Filius Dei revera sensit dolores infernales & mortem æternam, quod probatum damus sequenti argumento: *Quas pœnas peccatis nostris promeriti eramus, eas* CHRISTUS *in se suscepit & sustinuit. At pœnas infernales & mortem æternam peccatis nostris promeriti eramus: Ergò & easdem in se suscepit & sustinuit*; quod ipsum stabilimus etiã Scripturæ testimonijs *Psal.* 16. v. 10. *Psal.* 18 v. 5. 8.

Nota: Dolores ac cruciatus inferni sunt duplices: 1. aliqui à Deo ut justo judice infliguntur. 2. aliqui ex proprio scelerata conscientia fonte oriuntur, ut desperatio: illos Christus sustinuit, hos, quos inter est desperatio, non potuit.

VII. Verùm hìc scrupulus Adversariorum nos vellicat in hunc modũ argumentantium: *Quicunq; non sustinuit æternos & infinitos dolores, is non sensit cruciatus infernales: At* CHRISTUS *non sustinuit æternos & infinitos dolores*, quia ex mortuis resurrexit *Rom.* 6. v. 4. *Ergo cruciatus infernales non sensit.*

VIII. Sed

VIII. Sed notatu digna sese nobis offert distinctio *de morte æternâ*, quæ consideratur *dupliciter*, 1. *intensivè*, 2. *extensivè*; vel quod idem, distinguimus *inter pœnæ infernalis quidditatem, & adjunctam ejus durationem*; *priori* modò CHRISTUM pœnas infernales revera sustinuisse nulli dubitamus, at *posteriori* non item.

Nota: Ratione temporis *actiones & passiones Christi fuerunt finitæ, sed ratione* personæ *fuerunt infiniti ponderis ac precij.*

IX. *Locus*, in quo Christus maximos dolores infernales passus est, animamq; exspiravit, vocatur Golgatha, id est, locus Calvariæ, quod ipsum confirmatur *Matth.* 27. v. 33. Ubi?

Nota: גֻּלְגֹּלֶת *significat cranium volubile & rotundum: Hinc Calvariæ locus, Golgatha, Matth. 27. v. 33. à rad.* גָּלַל *volvit, provolvit.*

X. Hic ergo sciendum est, nos locum istum *principaliter* indigitare, in quo extremos corporis & animæ cruciatus sustinuit, & quibus

vinculum *unionis physicæ, non hypostaticæ, animæ & corporis, non naturarum*, dissolutum fuit; Non tamen cæteras, quas multis in locis à primo nativitatis momento ad mortem usq; sustinuit, miserias, infirmitates, dolores, cruciatus, ignominiam secludimus, sed eas præsupponimus.

Quibus auxiliis?

XI. Circa hanc quæstionem enodandam principiò indicamus, nos hoc loco non acturos de Deo Patre, à quo Christus dicitur flagellatus, percussus, ac afflictus *Esa.* 53. v. 4. Nec 2. de diabolo, qui Judam proditorem & Judæos ad Christum tradendum instigavit; per se namq; notum est, Sathanam primum hujus malitiæ authorem extitisse.

XII. Sed nobis sermo est, de proditore Juda, de Judæis, de Pontio Pilato, deq; ipsorum satellitibus, qui Christum indignis modis tractarunt, flagellarunt, spinis coronarunt, hastis punxerunt & in crucem egerunt.

XIII. Hic non immeritò quæri potest,

potest: An illi crudelis hujus facti veniam mereantur, ac sint ἀναμάρτητοι? Negamus: Calviniani affirmant, latibulum quærentes in *Actor.* c. 2. v. 23. & c. 4. v. 27. *convenerunt &c. facere, quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri.*

XIV. Verùm respondemus 1. ordinatio hujus consilij & decreti pendent ex præviso facto Judæorum, non econtra: Solet enim Deus ordinare sua decreta ex *prænotione futurorum eventuum*: sic ex præscientia eventûs, quod impia ista cohors Judæorum Christum in crucem actura esset, ordinavit decretum de redemptione humani generis per hanc crucifixionem Christi. 2. Vox *consilij & decreti DEI* usurpata de *malis actionibus* referenda nõ est ad *ipsas malas actiones per se, sed ad bonos illos fines*, quos Deus ex malis hominum actionibus novit elicere. Distinguimus ergo *inter ipsum factum Iudæorum*, quod ex Sathanæ & Judæorum malitiâ profectum est, & *finem facti saluberrimum* consiliò ac decretò

Dei definitum ac determinatum: *dè hôc*, non *illô* verba Petri sunt accipienda.

Cur? XV. Nunc ordine sic flagitante demonstrabimus, *Cur* Christus sit passus? nimirũ, ut Sanctô ac pretiosô suô sanguine, immeritâq; passione omnes homines peccatores, à morte, potestate Sathanæ & damnatione æterna redimeret 1. *Ioh.* 1. v. 7. 2. *Cor.* 5. v. 19. *Gal.* 4. v. 5.

Nota: Quatuor sunt dulcissimæ in passione Christi συζυγίαι 1. quod patientis (Christi) mors efficit vitam agentis (hominis) sc. mala. 2. quod patientis (hominis) vita (sc. mala) est agentis (Christi) mors 3. Quod patientis (Christi) mors, est agentis (Christi) mors. 4. Quod agentis vita patientis vita.

XVI. Calviniani sese hic nobis opponunt, passionem Christi ad solos credentes, exclusis impijs, restringentes, objiciendo nobis dictum 1. *Iohan.* 2. v. 2. *CHRISTVS est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantùm, sed totius mundi*: ubi vocabulum MUNDI ad solos credentes restringunt.

XVII.

XVII. Nos verò respondemus 1. Quod non admittat restrictionem aliquam *distributio istius dicti*, quæ *duo* membra distribuentia complectitur, quorum 1. *Non pro nostris autem tantùm*, 2. *sed pro totius mundi peccatis*; hæc distributio fictâ istâ restrictione planè exspiraret, & alterum distributionis membrum, MUNDUM, continens cũ priore coincideret. 2. Nõ admittit eam restrictionẽ ἀνάλυσις, quæ hac ratione ταυτολογίαν nõ evitaret: vocabulô namq; MUNDI ad solos electos coarctatô, hic foret sensus: *Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro peccatis nostris tantùm, hoc est, fidelium, sed etiam pro totius mundi*, sensu Calvinistico, *fidelium*. Quid absurdius quàm Spiritum S. ταυτολογίας insimulare. 3. Hic non progreditur Johannes à specie ad genus exclusivè, sed inclusivè, quod particula, NON TANTUM, indicat.

XVIII. Christus non ut ψιλάνθρωπος, nudus homo, sed ut θεάνθρωπος Deus & homo *verè* passus est, unde Quomodo

hæ propositiones resultant: *Deus est crucifixus, mortuus, non quidem,* (juxta mentem Theopaschitarum, qui passionem formaliter & subjectivè seu *in abstracto* divinitati tribuunt,) *in proprietate naturæ, sed in unitate personæ,* & κατ' ἰδιοπτῶσιν h. e. per appropriationē, quæ ex unione personali Divinæ & humanæ naturæ resultat, *Rom.* 5. v. 10. 1. *Ioh.* 1. v. 7. *Hebr.* 2. v. 14. *Hebr.* 4. v. 15. 1. *Petr.* 3. v. 18. c. 4. v. 1.

XIX. Explosione ergo digna Calvinianorum ἀλλοίωσις, meritò larva diaboli à Luthero dicta, quâ propositionem hanc: *Filius* DEI *passus est,* ita explicant; *humana* CHRISTI *natura est passa,* ubi *tota persona* nominatur, & *pars tantùm altera* intelligitur.

XX. Teneatur tamen hic distinctio *inter subiectum quod passioni, & subjectum quo: Illud* est Christus, DEUS & homo; *hoc* humana ipsius natura; Christus siquidē pro nobis passus est, sed *in carne* 1. *Pet.* 4. v. 1. 1. *Pet.* 3. v. 18. 1. *Pet.* 2. v. 24.

Quando

XXI. Restat circumstantia *temporis,* quò

quò Christus in ara crucis acerbissimam mortem gustavit: Est autem facta hæc passio *annò à nato Christo* 34. *ante annos* 1601. *Annò Mundi* juxta Chronologiam *Funccij,* 3998.

COROLLARIA.

1. Q. *An opera vicaria impiorum Iudæorum in occidendo Christo fuerit simpliciter & absolutè necessaria?* Resp. quod non: nam si Jehovah voluerit Messiam conterere, quod asseritur *Esa* 53. v. 10. potuisset etiam viam & rationem inire commodissimam, quâ vitam ipsi, etiam cum maximis doloribus & cruciatibus abstulisset: Verùm quia omniscius Deus longè antè prævidit, Judæos Messiam odiò immani prosecuturos, captivum ducturos, adeoq; propter veritatis nimis apertum præconium *illò ipsò tempore,* quod destinatum erat internecioni Messiæ, nec tandem ignominiosissimæ tradituros; Ideo decrevit nebulonum istorum operâ in eodem negocio uti ad occidendum Messiam pro peccatis

totius Mundi: Verùm *alium* in hôc negocio finem spectavit Deus, *alium* verò Judæi: *Hi* enim nihil aliud spectarunt in occisione Christi, quàm ut gallum tam clarè cantantem voce & vitâ privarent, quò deinceps licentiâ suâ citra ullum impedimentum frui possent: *Pater* verò in interfectione Filij sui longè *aliud* spectavit, nempè *universi generis humani omnium peccatorum expiationem, atq; ejusdem cum irato Deo reconciliationem* 2. Cor. 5. v. 18, 19.

2. Q. *An dignitas meriti Christi ab humanâ quoq; ipsius naturâ dependeat?* Resp. quod sic: Nam in officio utraq; natura agit, quod suum est, sed cum communicatione alterius: Agit ergo humana natura *tum* quà natura humana *in se* spectata; *tùm* quà Filij Dei *propria* natura *per unionem personalem*: Inde corpus Christi dicitur traditum pro nobis, & Sanguis ejus effusus in remissionem peccatorum *Matth.* 26. v. 28. *Marc.* 14. v. 24. *Luc.* 22. v. 19, 20. 1. *Cor.* 11. v. 24. Et Sanguis J. C. Filij

Dei emundat nos ab omni peccato 1. *Joh.* 1. v. 7.

3. Q. *An consimiles passiones naturales fuerint in Christo, quales in nobis?* Resp. quod *eadē* quidē & *consimiles* passiones naturales fuerint in Ipso, quales in nobis, sed non *eôdem* prorsus *modô*: nam 1. in nobis harum naturalium passionum motiones præveniunt voluntatis actionem, quia inviti & nolentes sitimus, esurimus &c. In Christo verò non præcedebant, sed sequebantur, & comitabantur voluntatis motionem: nam cum voluit, esurivit & mortuus est *Matth.* 4. v. 2. *Johan.* 10. v. 18. 2. Istæ passiones sunt nobis ex necessitate inflictæ, easq; ex peccato originali contrahimus, tanquam hæreditarias, & noxias primævi morbi reliquias: Christus verò nō *ex conditionis humanæ necessitate* eas sustinuit, cum peccati omninò fuerit expers, sed *solâ miserationis voluntate* eas assumpsit Ps. 40. v. 10.

4. Q. *An Eclipsis Solis tempore passio-*

nis Christi facta, fuerit naturalis? Resp. quod non: quia 1. facta est in plenilunio, quod tempus eclipsibus Solaribus minimè est conveniens: In plenilunio autem eam apparuisse constat inde, quod Paschatis festum circa plenilunium celebrari consueverat. 2. in toto terrarum orbe visa est *Matt.* 27. v. 45. &c. quod etiam contra naturam Eclipsium esse patet. 3. durat hæc *totalis* Eclipsis Solis per tres horas integras, quod cum Universâ naturâ non minus pugnat.

DISPUTATIO XI.

De

PASSIONE ET RESUSCITATIONE CHRISTI.

Ex 1 Pet. 3. v. 18. 19. 20.

Respondente M. CHRISTIERNO OSÆNGIO Sueco.

TEXTUS.

Χριστὸς ἅπαξ περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε, δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων, ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ θεῷ, θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι, ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν ἀπειθήσασί ποτε &c.

CHristus semel pro peccatis passus est, justus pro injustus, ut nos adduceret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu, in quo etiam abiens spiritibus in custodia prædicavit, qui aliquando impersuasibiles erant, &c.

SCHOLIA.

1. (*Christus*) Nomine *Christi* notatur *subjectum* Passionis *quod*, tota nimirum persona, ex duabus naturis, divinâ & humanâ ad invicem personaliter unitis, composita: Christus enim inquit *Damascenus l. 3. c. 2. orthod. c. 3.* τὸ συναμφότερον νοεῖται, id esse intelligitur

gitur (*quoad Ecclesiasticam ſc. usurpationem*) quod ex utroq; constat, confer *disput. de Vniversali merito Christi* ℔. 9, 10, 11.

2. (*Semel*) Particula, *semel*, opponitur pluralitati & crebræ repetitioni Leviticarum oblationum, quibus in N. T. exclusis, per unam & solam Christi in arâ crucis *semel* factam oblationem sanctificati sumus: *Vnâ* enim oblatione consummavit in sempiternum eos, qui sanctificantur *Heb.* 10. v. 14. c. 9. 12. *Sensus* ergo est: Christus semel pro peccatis oblatus est, & non necesse habet quotidie instar Leviticorum sacrificiorum pro peccatis offerri: Ubi enim est peccatorum remissio, ibi non est amplius oblatio pro peccato. Errant ergo, qui ex his verbis (*Christus semel mortuus est*) colligunt, obedientiam Christi *activam* non pertinere ad nostram redemptionem: *Aliud* enim *est semel mori, aliud solùm mori*: Et particula, *semel*, non opponitur obedientiæ Christi *activæ*, sed, ut dixi, pluralitati & crebræ sacrificiorum Leviticorum repetitioni.

3. (*Pro peccatis*) Utitur Apostolus *indefinitâ* locutione, numeròq; *pluralì*, quò indigitare voluit, Christum non tantùm pro peccato *Originali*, ut docent *Pontificii*, sed pro *omnibus peccatis in genere*, quòcunq; nomine veniant, tam *actuali* quàm *originali*, passum ac mortuum esse, quod & D. *Johannes* 1. *Epist.* c. 1. *particulæ Vniversalis* expressione, ejusdemq; repetitione apertè indicat inquiens: v. 7. Sanguis (quâ voce *synecdochicè* notatur tota obedientia Christi meritoria) J. C. Filij Dei emundat nos ab *Omni* peccato; & v. 9. ab *Omni* iniquitate. Passus autem, & mortuus est Christus pro omnibus peccatis *expiandis* & *remittendis*, quod notetur ad differentiam, quòd evestigiò additur, justum mortuum esse pro injustis, subintellige, *redimendis* & *cum Deo reconciliandis*, seu *in gratiam Dei reducendis*: In *priori* ergo phrasi præpositio ὑπὲρ, *pro*, significat commodum

dum & utilitatem, quæ ex passione & morte Christi in nos redundat: In *posteriori* verò notat vicem alterius, & permutationem, quòd vel inde elucescit, quia cùm Scriptura tradit, Christũ *pro peccatis* nostris esse mortuum, nullibi usurpat voculam ἀντὶ, quæ propriè vicem alterius & permutationem significat, cum personæ additur; Sed *vel* ὑπὲρ & quidem ut plurimum, *vel* περὶ: Cum autem Christus *pro nobis* animam dedisse dicitur, non tantum particula περὶ, ut h. l. sed etiam ἀντὶ, Matth. 20. v. 28. Marc. 10. v. 45. usurpatur.

4. (*Passus & mortificatus quidem est*) Nomine *passionis* intelliguntur h. l. *generaliter* omnes miseriæ, infirmitates, dolores, cruciatus, & ignominiæ, quibus Christus à nativitatis articulo usque ad extremum vitæ halitum tàm animâ quàm corpore nostri causâ fuit obnoxius. Verbum autem, *mortificatus est*, *specialiter* notat actum istum postremum vitæ, in quo sub judice Pontio Pilato extremos cruciatus corporis & animæ, & tandem mortem contumeliosissimã crucis *verè*, (quod perspicuè indicat *oppositio* mortificationis & vivificationis, particulis, *quidem* & *autem*, indigitata) perpessus est, vide *Matth.* 26. v. 38. c. 27. v. 46. &c.

5. (*Carne*) Vocabulô *Carnis* notatur *subiectum* passionis *quo*, & per eam intelligitur tota humana Christi natura (Neq; enim propriè dici potest Christus *corpore* θανατωθεὶς, sed *humanâ naturâ*, quando anima à corpore solvitur: mors siquidem non est corporis vel animæ seorsim, sed *integri* hominis:) ita tamen, ut respectum *simul* habeat ad infirmitatem illam, cui humana natura Christi in statu κενώσεως sponte se subjecit: Non autem hac voculâ *divina* Christi natura à passione excluditur, sed *proprium* tantùm passionis subjectum ostenditur, & à subjecto illius *communicativo* distinguitur: Sunt enim ejusmodi particulæ, *in carne*, *juxta carnem*, *Eph.* 2. v. 14. *Rom.*

Rom. 1. v. 3. in hôc genere prædicationum; *Christus passus & mortuus est in carne*; non διαχωριτικαὶ, *separativæ*, aut *disgregativæ*, quæ naturas dividant, & alteram ab idiomate communicato planè excludant; sed διακριτικαὶ, *distinctivæ*, quæ naturas & proprietates naturales saltem distinguunt, & cujus naturæ gratiâ vel respectu hæc vel ista propria toti personæ tribuantur, mõstrant; non verò hanc vel istam naturam à communi attributo separant.

6. (*Justus*) *Duplex* est justitia Christi; *una* personæ; *altera* officij: *Prior* illa consistit in personæ ipsius sanctitate naturali, cujus respectu in *Epist. ad Hebr.* c. 7. v. 26. dicitur ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν h. e. *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, qui non poterat inter peccatores numerari: Ipse enim peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus 1. *Pet.* 2. v. 22. *Iohan.* 8. v. 46. Et hæc justitia requiritur quidem ad *personæ Mediatoriæ* constitutionem, sed non ad *officii ipsius* executionem. *Posterior* verò *hæc* consistit in Christi obedientia, quâ divinæ legi se pro nobis subjecit, eamq; perfectissimè implevit *Ps.* 40. v. 10. *Matth.* 5. v. 7. *Rom.* 8. v. 4. c. 10. v. 4. *Illâ sibi ipsi* justus est: *hâc* vero *nobis* factus est justitia 1. *Cor.* 1. v. 30. *tum* respectu *obedientiæ* in *acquisitione*, *tum* etiam respectu *efficaciæ* in *applicatione*: *Acquisita* quidem est hæc justitia *omnibus hominibus*, sed *solis credentibus* per veram fidem *applicatur*, vel *imputatur* Philip. 3. v. 9.

7. (*Pro injustis*) Per injustos h. l. intelliguntur omnes in universum homines, solô Christô Homine exceptô: Non enim est distinctio, sed omnes peccaverunt, *Rom.* 3. v. 22. (*Luth.* sie sind allzumal Sünder: intelligitur enim h. l. non solum peccatum *actuale*, sed peccatum *in genere*) & egent gloriâ Dei, h. e. justitiâ coram Deo valente, sive gloriatione de perfectâ legis impletione; confer etiam *Psal.* 14. v. 3. *Rom.* 5. v. 12. 18. 19. Pro omnibus ergo

hominibus h.e. vice & locò omnium hominum (*vide Schol.* 3.) Christus passus & mortuus est: Meritum enim Christi est Universale, quod *in peculiari disputatione* fusè demonstravimus, ad quam lectorem remittimus. Obiter hîc notetur discrimen inter τὸ *pati & mori simpliciter* acceptum: & τὸ *pati & mori pro peccatis expiandis, & hominibus iniustis redimendis*: *Illud* est idioma humanæ naturæ: *Hoc* verò est apotelesma, quod tribuitur Christo juxta utramq; naturam: Sola namq; natura humana opus redemptionis perficere non potuisset, nisi divina natura pondus & efficaciam addidisset, ut esset sufficiens λύτρον pro redemptione generis humani. *Illud* constituit propositionem *primi* generis communicationis; *Hoc tertii* generis.

8. (*Vt nos adduceret Deo*) Finis passionis & mortis Christi his verbis exprimitur, & designatur particulâ causali, *Vt*: Phrasis, *adducere nos Deo*, notat reconciliationem nostri cũ Deo, apud

apud quem nos Christus passione ac morte suâ in gratiam, quâ propter peccata nostra excideramus, *Esa.* 59. v. 2. reduxit: Sic ergo Christus in opere redemptionis non tantùm est ἀρχηγὸς, sed etiam τελειωτὴς consummator nostræ salutis *Heb.* 12. v. 2. qui non tantum pro totius mundi peccatis satisfecit *Esa.* 53. v. 6. *Rom.* 5. v. 18. 1. *Tim.* 2. v. 5. 1. *Joh.* 2. v. 2. sed etiam salutem passione ac morte suâ omnibus acquisitam *nobis* (credentibus sc.) per veram fidem applicat: *Breviter*: Christus passus & mortuus est, *hac intentione*, ut omnes homines peccatores in gratiam apud Deum reducerentur; Gratiam etiam reconciliationis passione ac morte suâ omnibus *acquisivit*, & acquisitam per verbum & Sacramẽta omnibus *Offert*, & *vult*, ut omnes quoq; verâ fide eam apprehendant; sed cum plurimi acquisitam & oblatam istam gratiam incredulitate suâ respuant, ac voluntati misericordiæ divinæ contumaciter ac malitiosè re-

 sistant,

sistant, hinc propriâ suâ culpâ sub ira Dei manent *Iohan.* 3. v. 36. Gratia verò reconciliationis *solis* in Christum credentibus *confertur & applicatur. Iohan.* 3. v. 16. 18. 36.

9. (*Vivificatus autem*) In græcô extat participium ζωοποιηθεὶς, h. e. in vitam revocatus, seu vitæ restitutus: Facta autem est hæc vitæ restitutio, *per animæ & corporis reunitionem*: Sicuti enim θανάτωσις in animæ & corporis solutione, ita vi ἀνιστάσεως (quam particula, *autem*, perspicuè indicat) ζωοποίησις in animæ & corporis unione propriè consistit; Et sicut *totus* homo, (non autem corpus solum, nec anima sola,) dicitur θανατᾶσθαι; ita quoq; non corpus solum, nec anima sola, sed *totus* seu integer Homo dicitur ζωοποιεῖσθαι.

10. (*Spiritu*) Per *Spiritum* h. l. intelligitur divina illa virtus vivifica, quâ Christus ex mortuis excitatus, unq; vitam revocatus fuit. Sunt, qui *Spiritum* de *animâ* exponunt, sed ij sequenti ratione refelluntur: Si Spiritus de animâ hîc accipi deberet, tum sequeretur *alterutrum*, quod videlicet *aut* activè *aut* passivè Christus vivificatus esset animâ: Non autem *passivè*, quia anima Christi non est mortua, adeoq; ζωοποιήσεως non fuit indiga: nec etiam ἁπλῶς *activè*, quia ipsa *per se & virtute suâ naturali* corpus mortuum in vitam reducere nequivit. Ergo *neutrô* modô. Dixi, non ἁπλῶς *activè*: Anima enim Christi cum sit plena vivificante λόγῳ, ipsa quoq; ab inhabitante λόγῳ vivificandi facultatem sortita est: Atq; hinc adeò anima Christi, *quatenus* per & propter unionem cum τῷ λόγῳ personalem particeps facta est divinæ virtutis vivificatricis, corpus suum vivificavit, & vivificandi vim in proprio suo corpore exercuit, h. e. corpus suum in vitam reduxit, non *per se*, & *virtute suâ naturali*, sed *communicatâ* τῷ λόγῳ *potentiâ vivificatrice.*

11. (*In quo etiam abiens*) Participium

um πρόθεσις, quod h. l. extat, impropriè, & κατ' ἀνθρωποπάθειαν debet intelligi de peculiari quadam manifestatione, quâ Christus sese revelavit illis spiritibus, qui quondam non obtemperarunt, cum semel Dei longanimitas exspectavit in diebus Noë, cum extrueretur arca.

12. (*Spiritibus*) Per *Spiritus* intelliguntur hîc *animæ fidelium*, qui unà cum aliis quidem impiis pœnâ corporali sunt affecti, & diluviô absorpti, sed cũ in extremo tandem periculo veram, & seriam pœnitentiã egerint, animæ ipsorum servatæ sunt; Quia enim historia diluvij *duo* hominum genera expresè distinguit, *filios Dei*, qui erant vera Ecclesiæ membra; & *filios hominum*, qui erant extra Ecclesiam: Idcirco *istos* ex Filiorum Dei numero esse censemus, qui jam jam expiraturi seriam egerunt pœnitentiam: Et quia *vera* pœnitentia nunquam est apud Deum sera, ideo ab æternâ damnatione fuerunt erepti, licèt cum mundo interierint corporaliter, unde D. *Petrus* 1. *Epist.* 4. v. 6. scribit, *eos judicatos esse secundùm homines carne, vivere autem Deo Spiritu.*

13. (*In custodiâ*) Per φυλακὴν seu *custodiam* hîc intelligimus *certũ quendam locum*, sive *cœleste quoddam πῦ*, in quo Spiritus sive animæ illæ defunctorum asservantur, & custodiuntur: *Ubi* autem sit iste locus, tutius est ignorare, quàm affirmare: Honorificum enim nobis est, inquit *Luth. in Comment. super gen. c.* 7. etiamsi quædam sacrarum literarum mysteria ignoremus. Extra dubium tamen hoc ponimus, quod custodia hæc 1. non sit Infernus, quia Petrus ait, eos Deo vivere spiritu, etsi secundùm homines sint mortui carne: In Inferno verò non vivitur Deo Spiritu; quippe ubi mors animæ æterna dominatur: 2. nec locus inter cœlum & infernum medius, sed, ut dixi, *cœleste quoddam πῦ, ac beatarum animarum domicilium*, quod ubi sit, nos ultrò ignorare fatemur. Cum verò in vitâ

æternâ *distincti* sint gloriæ gradus, 1. *Cor.* 15. v. 41. ideò *verisimile* est distinctas quoq; in ea habitationes esse, splendore ac gloriâ ab invicem discrepantes, quod Christus *Joan.* 14. v. 2. *forsitan* innuere voluit, inquiens: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*: Cumq; habitaculum horum spirituũ, quorum *Petrus* hîc meminit, *inferiora* sit conditionis & loci, id *in collatione eum eminentioribus* φυλακὴν, carcerem & custodiam nuncupat.

14. (*Prædicavit*) In græco extat verbum, ἐκήρυξε: quod c. 4 v. 6. explicatum est, ubi *D. Petrus*, ad præcedentem hanc sententiam respiciens, ait: εὐηγγελίσθη, *prædicatum est Evangelium*; quæ vox significat hîc *latum & solenne de Christi personâ, officio & merito præconium*: In quem finem verò hoc Evangelium ipsis sit prædicatum, id Apostolus d. l. apertè indicat, nimirum, non ut converterentur: Non enim in incredulitate suâ isti decesserant, ut concione pœnitentiæ indigerent; multò

multò minus, ut confunderentur: Erant enim in statu æternæ beatitudinis jam quoad animas constituti; sed ut manifestatione præsentiæ, resurrectionis, victoriæ & Majestatis suæ divinæ felicitatem ipsorum cœlestem augeret, & majore lætitiâ eos perfunderet. Hoc enim vult sibi *Petrus*, cum ait, idcirco illis Evangelium esse prædicatum, *ut vivant apud Deum Spiritu.*

15. (*Qui aliquando impersuasibiles erant &c.*) In græco extat vocabulum, ἀπειθήσασι, quod certè non est idem cum ἀπίστοις: Neq; enim duo isthæc vocabula sunt ἀνυπόστροφα, sed ἀνυποστρόφους & duntaxat h. e. unâ tantum sui parte reciproca, ita quidem, ut omnes ἄπιστοι sint quoq; ἀπειθεῖς, impersuasibiles, sed non omnes ἀπειθεῖς sint etiam ἄπιστοι infideles: Nam & credentes possunt esse ἀπειθεῖς, quando ex infirmitate carnis excidium & devastationem hujus vel illius urbis sibi persuaderi non patiuntur, licèt fidem in Christum idcircò non abnegent, neq;

ex malitiâ sese opponant. Quare h. l. per ἀπειθεῖς non intelliguntur infideles & increduli, qui vel Noam justitiæ præconem hostiliter sunt insectati, vel qui veram in Christum fidem penitus abjecerunt, sed ejusmodi impersuasibiles, qui sive securitate aliquâ, sive nimiâ confidentiâ adducti sibi persuaderi non passi sunt, Deum tantâ severitate mundum puniturũ: Ejusmodi enim Nohæ comminationibus opponebant misericordiam Dei, quâ fieri non posse putabant, ut universum genus humanum, & cum eo omnes quoq; animantes tam miserè perderet & deleret: Itaq; in suâ hac securitate ingruentibus aquis diluvij oppressi, ad seram tandem in extremo vitæ periculo pœnitentiam compulsi sunt: Neq; enim dicit Apostolus, quod in suâ ἀπειθείᾳ & impietate decesserint, sed quod *tum* impersuasibiles fuerint, cum arca fabricaretur.

16. Hîc pedem figimus, & finem Sho-

Scholijs nostris imponimus, in quibus τὸ ῥητὸν in simplicitate fidei retinuimus D. Lutheri b.m. ductum secuti, cum quo in postremo ejus, ac eruditissimo commentario super Gen. c. 7. fateri quoq; non erubescimus, nos plenam hujus mysterij intelligentiam in hac infirmitate non satis assequi. Contenti ergo debemus esse tali explicatione, quæ fidei sit analoga, nihilq; incommodi importet; Et si quæ sint quæstiones, quæ captum nostrum superant, non oportet propterea tam clarum textum in peregrinum sensum torquere, qui κατὰ τὸ ῥητὸν intellectus analogiæ fidei respondet, nullamq; absurditatem parit. Dicamus itaq; cum Augustino: *Major est hujus Scripturæ autoritas, quàm totius humani ingenij capacitas.*

COROLLARIA.

1. Q. *An dissensio quædam voluntatum in Christo, divinæ videlicet & humanæ, probari possit ex oratione Ipsius Matth. 26. v. 39?* Ita nonnullis videtur sic argumen-

mentantibus: *Si Christus secundùm humanam voluntatem declinare voluerit mortem, quam tamen secundùm divinam oppetere voluit, sequitur, quod dissensio aliqua voluntatum in Christo fuerit: Sed prius verum*, quod ex oratione Christi constat. *Ergo & posterius.* Verùm hoc argumentum tanti momenti non est, ut nos in sententiam istam pertrahere possit: *Assumptum* enim (1.) planè falsum est, neq; ex textu probari potest, qui tantùm hoc vult, Christum secundùm humanam naturam, facultate sensitivâ, quod suum erat, agente, & voluntatem humanam moveute, *horruisse quidem mortem*, quia natura semper sui appetit conservationẽ, neq; quicquam magis exhorrescit, quàm sui destructionem, id quod in vitio minimè est positum, quippe à naturæ humanæ conditione dependens: Sed nullatenus inde sequitur, Christum *declinasse mortem*: Imo (2.) sic voluntate humanâ horruit mortem, ut tamen voluntati divinæ minimè

minimè reluctaretur, sed patienter sese ei submitteret, inquiens: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* A naturali ergo mortis horrore, ad ejusdem declinationem non semper V. C.

II. Q. *An Petrus ternâ Christi abnegatione Matth. 26. v. 70. 71, 72. gratiâ Dei exciderit, & donum resipiscentiæ amiserit:* Resp. quod sic, adhibitâ tamen hac distinctione, quod peccata, quæ possunt gratiam Dei reddere vacuam, sint *duorum* generum, *quædam* fiunt ἐκ προλήψεως, *quædam* ἐκ προαιρέσεως: *Illa* fiunt præter animi intentionem, subitis motibus, quibus præoccupatur homo renatus, & supplantatur, antequam spiritu seriò resistere possit, qualis fuit Petri lapsus, qui sibi nunquam proposuerat abnegare Dominum, sed periculosis quæstionibus aulicorum Caiphæ subitò commotus fecit, quod postea seriò deploravit: Tales quoq; sunt lapsus Sanctorum, de quibus Apostolus Gal. 6. v. 1. In his quidem nullum adest peccandi pro-

propositum, accedit tamen consensus ad peccandum, quem subitanei motus affectuum inordinatorum extorquent: Ideo talia peccata cum dono renascentiæ stare non possunt. *Hæc* fiunt nõ saltem à scientibus & volentibus, sed & cum deliberato consilio & destinato animi proposito contra conscientiam, quale fuit adulterium & homicidium Davidis, proditio Judæ &c. Et hic gratiam Dei fieri frustraneam docet Apostolus 1. Tim. 1. v. 19. &c.

III. 1. *Cor.* 1. v. 30. inquit Apostolus: *Christus factus est nobis Sapientia â Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* SAPIENTIA 1. *quoad consilij salutis nostræ inventionem*: Ipse enim est consiliarius & sapientia Dei *Esa.* 9. v. 24. 1. *Cor.* 1. v. 24. 2. *quoad eiusdem annunciationem*: Ipse enim in Paradyso protoplastis nostris consiliũ & decretũ istud de liberatione generis humani ex potestate Satanæ primus annunciavit, inquiens, *Gen.* 3. v. 15: *Semen*

men mulieris conteret caput serpentis &c. confer etiam *Johan.* 1. v. 18. *Heb.* 1. v. 1, 2: JUSTITIA 1. *respectu obedientiæ in acquisitione*: Christus enim locô nostri perfectissimam obedientiam legi divinæ præstando veram nobis justitiam, quâ coram Deo consistere possumus, acquisivit, teste Paulô *Rom.* 5. v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius (Christi) obedientiam justi constituentur multi.* Adde etiam 2. *Cor.* 5. v. 21. *Gal.* 4. v. 5. &c. 2. *respectu efficaciæ in applicatione*: Neq; enim tantùm acquisivit nobis justitiam, sed & acquisitam per fidem salvificam verè nobis applicat: Justificamur enim gratis, ipsius (Dei) gratiâ per redemptionẽ, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium, per fidem in sanguine ejus &c. *Rom.* 3. v. 24. videatur etiam c. 4. v. 4, 5, 24. c. 5. v. 1. &c. SANCTIFICATIO 1. *per sanguinis meritum*: Sanguis enim J. C. emundat nos ab omni peccato 1. *Joh.* 1. v. 1.

1. v. 1. ejusq; virtute redempti sumus de vanâ conversatione paternæ traditionis 1. *Pet.* 1. v. 19. inde sanctificati dicimur in Christo 1. *Cor.* 1. v. 2. in nomine Christi 1. *Cor.* 6. v. 10. vide etiam classicum istum locum *Eph.* 5. v. 25. 2. *per Spiritum S.* qui à Christo missus ducit nos in omnem veritatem *Ioh.* 15. v. 26. c. 16. v. 13: Et sanctificat omnes in Christum credentes; unde 1. *Cor.* 6. v. 10. inquit Apostolus: Abluti estis, Sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini J. C. & *in Spiritu Dei nostri*: Hinc etiam Sanctificatio Spiritûs dicitur 1. *Pet.* 1. v. 2. 2. *Thess.* 2. v. 13. *Rom.* 1. v. 4. REDEMPTIO 1. *à morte corporali*: quamvis enim propter peccatorum reliquias in hâc vitâ morti adhuc simus obnoxij, mors tamen istâ virtute meriti Christi facta est credentibus transitus ad vitam æternam *Ioh.* 5. v. 24. & tandem in novissimo die, velut ultimus hostis planè destruetur 1. *Cor.* 15. v. 26. Absorpta enim est mors per victoriam Christi,

Ose.

Ose. 13. v. 14. 1. *Cor.* 15. v. 55. 2. *à morte Spirituali*: Mortui enim eramus in peccatis, sed Deus nos in Christo vivificavit, & resuscitavit, ac sedere fecit in cœlestibus *Eph.* 2. v. 5, 6. 3. *à morte infernali*: Christus enim ascendens in cœlum captivam duxit captivitatem *Eph.* 4. v. 8. Et in hoc apparuit, ut dissolveret opera Diaboli 1. *Ioh.* 3. v. 8. &c.

IV. Q. *Quomodo Regula Patrum accipienda: Quod λόγος assumpsit, nunquam deposuit?* R. Ista regula intelligi potest *vel* de partibus, *vel* de completo esse hominis: Si de *partibus*, animâ nimirum & corpore, *absolutè* vera est: Si de *completo esse* hominis, *restrictionem* patitur, & triduum mortis excipitur, & cumprimis de tempore mortem insecuto intelligitur: Christus enim mediator noster *verè* pro nobis mortuus, ac per triduum sepultus fuit, atq; sic non permansit semper, sed ad exiguum temporis spatium, nostræ salutis causâ, esse desijt homo *vivus, & univocè dictus.*

V. Q. *An tempore mortis Christus secundùm humanitatem fuerit omnipotens?* R. Fuit omnipotens *actu primô*, non autem *actu secundô*, vel quoad *plenam omnipotentiæ ἐνέργειαν*, atq; *usurpationem*, quæ impedijsset mortem; actus primus autem nequaquam, præsertim cum omnipotentia non humanitatis, sed τῦ λόγυ sit idioma, qui pro suo beneplacito usum ejus retrahere poterat.

VI. Esa. 63. v. 3. *Duo* cumprimis de Christo prædicantur, quæ de cruentâ ipsius passione vulgò solent explicari, sed quàm rectè, ex sequentibus patebit: *Primum* est, quod solus torcular calcaverit: Per *torcular* autem stylò Scripturæ intelligitur non pressura calcantis, sed vindicta & pœna calcatorum, vide Joel. 3. v. 13. Thren. 1. v. 15. Apoc. 14. v. 19. & 20. Torcularis ergo *calcatio* stylò scripturæ denotat *in genere* quorumlibet hostium subjectionem, prostrationem & expugnationem: *In specie* autem hôc locò designat

signat externorum hostium Ecclesiæ debellationem & suppressionem: Et hanc explicationem suppeditat nobis Propheta ipse verbis *immediatè* sequentibus, & v. 6. repetitis: *Calcavi eos* (עַמִּים populos v. 6.) *in furore meo, & conculcavi eos in irâ meâ*: Ubi & hoc probè observandũ venit, quod Christus calcationem hanc à se factam esse ait *in irâ & furore suo*, quod in patientê Christum minimè quadrat: In passione siquidem non tam suâ excandescentiâ se Christus fulcivit, quàm Patris iram sanxit: quin imò pro populis crucifigentibus se apud Patrem suum interceßit, non autem ijs succensuit *Luc.* 23. v. 34. *Solus* autem dicitur torcular istud calcasse, non quod ab actu isto calcationis excludat omnes causas *secundarias* seu *organicas*, sed quod ad eum perficiendum nullas adhibeat causas *socias*, *in eodem ordine* secum constitutas: Ipse enim solus est causa calcationis hostium Ecclesiæ *principalis*, & solus *propriâ suâ potentiâ*

eos debellat & devincit: reliquæ verò, quarum ministeriô quandoq; pro liberâ suâ voluntate in opere isto utitur, ad classem causarum *organicarum* spectant, & vim atq; potentiam agendi ab ipso accipiunt: Particula ergo exclusiva, *Solus*, non opponitur alijs causis *organicis*, sed *principalibus*, *in eodem ordine* cum Christo agentibus, unde etiam *subsequentia* verba hanc sortiuntur limitationem: *& de populis non est vir mecum*, *in eodem sc. ordine seu genere causarum militans*: Et hanc esse vim particulæ exclusivæ patet exemplis id genus alijs: Sic Deus *solus* facit miracula, & tamen suô modô ea edidisse leguntur *Moses*, *Prophetæ*, *Apostoli* confer *Ps.* 72. v. 18. & 86. v. 10. & 136. v. 8. *Act.* 3. v. 6. 16. *Exod.* 7. 8. 9. 10. *cap.* 2. *Reg.* 2 v. 8. 1. *Reg.* 17. v. 22. &c. Sic quoq; Deus *solus* remittit peccata, & tamen etiam *Apostoli* & *ministri* Verbi, confer *Marc.* 2. v. 7. *Iob.* 20. v. 23. &c. Addo, quod Christus sæpenumerò *immediatè* Ecclesiæ hostes ad pœnam rapiat, & radi-

radicitùs extirpet, quô pactô ipsum *solum* torcular calcasse quis negatum eat? *Secundum est*, quod ex metropoli Edomæ, Botzrâ, venerit (v. 1.) sanguine consperſus & commaculatus: In fonte quidem vox *Sanguinù* non extat, est tamen necessariò subintelligenda 1. quia vestis dicitur ex calcatione rubefacta v. 2. 2. quia גבורה (quod vocabulum in textu Hebræo extat) h. e. *robur* hostium corporalium non sine sanguine ipsorum fuit fractum & convulsum: Cum sanguine enim & vita & vires profunduntur. 3. quia *Apoc.* 19. v. 13. (ubi hæc verba explicantur) vox *Sanguinis* expressè adjicitur: *Et vestitus erat veste adspersâ sanguine.* Intelligitur autem hîc non sanguis ipsius *Christi*: Is enim non habet vim *commaculandi*, quia omnis peccati per se expers, sed *purgandi* potius, & *emundandi* 1. *Iohan.* 1. v. 7. *Hebr.* 9. v. 13. sed sanguis *hostium Ecclesiæ corporalium* à Christo Victore prostratorum: Quô enim sanguine vestis Christi fuit ad-

sperſa, eò quoq; fuit commaculata; ſed ſanguine populorum ſeu hoſtium Eccleſiæ corporalium veſtis Chriſti fuit adſperſa, v. 3. Ergo. Idq; inſuper probatur ex ſcopô comparationis à Propheta inſtitutæ: Scopus ejus eſt *metaphoricè* deſcribere hoſtium corporalium Eccleſiæ proſtrationem & ſuppreſſionem, ſumptâ metaphorâ à calcatione uvarum: Chriſtus eſt *calcans* v. 3. *Apoc.* 19. v. 13, 14. *Torcular*, quod adhibetur in uvarum expreſſione, eſt vindicta de hoſtibus Eccleſiæ terrenis ſumpta v. 4. *Uvæ calcatæ* ſunt populi ſeu hoſtes Eccleſiæ corporales v. 6. *Vinum* ex uvis expreſſum eſt ſanguis cum vitâ & viribus ab hoſtibus Eccleſiæ, tanquam uvis à Chriſto conculcatis profuſus, v. 3. Ex antedictis ergo jam talem nectimus ſyllogiſmũ:

Is, de quo Propheta Eſa. c. 63. loquitur, 1. venit ex metropoli Edomæa, Botzrâ, 2. populos in irâ & furore ſuo conculcavit, 3. illorum ceu hoſtium ſuorum ſanguine fuit conſperſus & commaculatus, 4. deq; iis

victoriam reportavit, & triumphavit.

Sed hæc patienti Chriſto non competunt.

Ergo de Chriſto patiente Propheta Eſa. 63. non loquitur.

Concludimus igitur Prophetam d. l. agere de Chriſto Rege Eccleſiæ triumphante, ſuos potentiſſimè ab hoſtibus externis ſeu corporalibus liberante, & contra eos defendente.

DISPUTATIO XII.

De GLORIOSA ET SALUTIFERA TRIUMPHATORIS NOSTRI JESU CHRISTI RESURRECTIONE.

THESIS I.

Sicut paſſione & morte ſuâ Chriſtus peccata noſtra in ſtatu exinanitionis expiavit. Ita reſurrectione ſua ſtatum exaltationis auſpicatus hoſtes noſtros, Satanam, Mortem, infernum peccatum & mũdum devicit, ut nulli fidelium amplius no-

us nocere queant. *Os.* 13. v. 14. 1. *Cor.* 15. v. 55. 56. 57.

II. Cum ergo hic articulus *de resurrectione* CHRISTI lætissimus *illi*, de passione, & morte, nexu indiviso adhæreat, ut in fidei nostræ certitudinem mentem de eo quoq; nostram explicemus, temporis ratio monet.

III. Ut verò ordine procedamus, *primò* dicimus Christi resurrectionem fuisse *Veram*, idq; probatur 1. *à priori* sive prædictione tàm veteris *Psal.* 16. v. 20. *Os.* 6. v. 2. quàm Novi Testamenti, ac ipsius Christi *Luc.* 18. v. 33. *Joh.* 2. v. 20. 2. A *posteriori* sive patefactione, qua Christus sese mulieribus sub crepusculo matutino ad sepulchrum corpus Domini unctum euntibus cæterisq; discipulis suis tanquam futuris resurrectionis suæ testibus, nec non militibus ad sepulchrum Christi excubantibus redivivum manifestavit *Luc.* 24. *Matth.* 28. *Mar.* 16. *Joh.* 20. & 21. 3. Ab Angelorum & Apostolorum contestatione; vide præter allegata loca etiam *Act.* 2. v. 32. c. 3. v. 13. c. 13. v.

13. v. 30. 31. *Rom.* 4. v. 25. *Eph.* 1. v. 20.

IV. *Secundò* dicimus eam esse *maturam tum ratione diei*, qui licèt non integrè completus, sed tantum inchoatus, tertius esse debuit, ut complerentur tàm prædictiones *Os.* 6. v. 2. *Luc.* 18. v. 33. quàm typi, *Jona* in ventre ceti tres dies atq; noctes conclusi *Jon.* 2. v. 2. *Matth.* 12. v. 40. Et Solis triduum obscurati *Exod.* 10. v. 22. *tum horæ scilicet matutinæ*, cujus respectu Samson typũ resurrectionis Christi gessit, *Jud.* 15. v. 3. & Christus Soli orienti comparatur *Malach.* 3. v. 2.

V. *Tertiò* dicimus eam esse *Miraculosam*, *dum* 1. *evigilavit fortiter*, propriâ suâ virtute vivificatrice: Nec obstat, quod Pater Filium exuscitasse dicitur *Eph.* 1. v. 2. Factum enim hoc ob simplicissimam essentiæ unitatem & ὁμοσίαν numericam, cujus ratione & Spiritus S. dicitur Jesum à mortuis suscitasse *Rom.* 8. v. 11. Hinc quæcunq; Pater fecit, ea similiter & Filius facere dicitur *Joh.* 5. v. 29. Non tantum ergo à Patre, sed etiam à semetipso

excitatus est, uti de seipso quoq; testatur Joh. 10. v. 18.

VI. (2.) *Dum penetravit subtiliter*: Si enim Evangelistas conferimus, patebit Christum resurrexisse, lapide nondum ab ostio sepulchri devolutô. Corpore ergo suô glorificatô, cui nihil obstare potuit, saxum pertransijt, uti fusius probat *Theophylactus in c. 28. Matth.* quod verò Angelus lapidem amovit, id non fecit, ut Christus surgeret, sed ut resurrectio spectatoribus innotesceret.

VII. (3) *Dum terrefecit graviter*: Milites enim, sepulchri custodes, fulgore Angeli de cœlo descendentis, & lapidem ab ostio sepulchri revolventis, vehementer sunt concussi, & velut mortui facti, *Matth.* 28. v. 3. 4.

VIII. (4) *Dum triumphavit hilariter*: 1. In regno *justitiæ* hostes captivos tenendo *Ps.* 69. v. 19. 2. In Regno *gratiæ* piis clementem, impijs terribilem se ostendendo, 1. *Pet.* 3. v. 20. *Eph.* 4. v. 8. in

3. In Regno *gloriæ* universale dominiũ in cœlo & in terrâ plenariè ac incessabiliter exercendo, *Matth.* 28. v. 18.

IX. *Quartò* dicimus fuisse *necessariam*: Nisi enim Christus resurrexisset, adhuc essemus in peccatis, & fides nostra esset inanis, & nos miserabiliores essemus omnibus creaturis, apertè attestante Paulo 1. *Cor.* 15. v. 14. 15.

X. *Quintò* dicimus esse utilissimam 1. Per resurrectionem Christus se Filium Dei potenter declaravit, *Rom.* 1. v. 4. 2. Se pro peccatis satisfecisse justitiamq; recuperasse demõstravit *Rom.* 4. v. 23. 3. Nos de futurâ corporum nostrorum resuscitatione ac in gloriosam vitam receptione certos reddidit *Joh.* 11. v. 25. *cap.* 14. v. 13. 1. *Corint.* 15. v. 21. *Rom.* 8. v. 11.

Quæstiones locô Corollariorum additæ.

1. Quia Christi resurrectio est causa no-

sa nostræ futuræ resuscitationis ad vitam æternam, non immerito disquiritur, *an etiam impij vi resurrectionis Christi resurrecturi sint*? Negativam nos amplectimur: Quia 1. in sacrâ Scripturâ effectus resurrectionis Christi semper salutaris describitur: Resurrexit enim Christus propter credentium justificationem *Rom.* 4. v. 23. non in impiorum damnationem; Et sumus regeniti in spem vivam per resurrectionem ex mortuis 1. *Pet.* 1. v. 3. 2. Quia sic fierent meriti Christi participes & salvarentur; sed non salvantur: E. nec fiunt meriti Christi participes. Et per consequens nec resurrectio Christi est causa resurrectionis impiorum.

2. Q. An valeat hoc Enthymema: *Christus resurrexit*: *Ergo & omnes mortui cùm pij, tùm impij resurgent*: Resp. quod sic: nam ita Apostolus ipse argumentatur: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*, 1. Cor. 15. v. 22. Exinde verò neutiquam sequitur, quod resurrectio Christi

Christi æquè sit causa resurrectionis impiorum ac piorum, & hæc illius effectus seu fructus meritorius: Impij enim propter incredulitatem suam fructûs resurrectionis Christi incapaces existunt: Christus quidem ex *intentione divinâ*, & *juxta voluntatem DEI antecedentem* pro omnibus h. e. in commodum & utilitatem omnium resurrexit, sed damnandi resurrectionem illam sibi non applicant: Ergo nec resurrectio ipsorum à resurrectione Christi causaliter dependet: Attamen rectè dici potest *inseparabile & inevitabile aliquod consequens resurrectionis Christi*, judicis à Deo ordinati, ita ut à positione resurrectionis Christi valeat processus ad positionem resurrectionis etiam hominum impiorum, & *hæc* ad *illam* tam indisgregabilem habeat σχέσιν, ut *illâ* assertâ, *hæc* sequi nullatenus non possit, & proinde quoq; allatum Enthymema sit certum. *Breviter*: causa resurrectionis *impiorum* est decretum & justitia

stitia divina; Causa verò resurrectionis *piorum* est resurrectio Christi 1. Cor. 15. v. 24.

3. *An resurrectio Christi sit pars λύτρου pro peccatis nostris persoluti?* Resp. Christus suâ passione & morte pro peccatis nostris satisfecit, & sufficiens λύτρον persolvit: Resurrectione verò suâ pro peccatis nostris non satisfecit, nec ut satisfaceret vel solveret quicquam, opus erat: siquidem passione & morte satisfactum erat. Resurrectioni ergo tribuitur à Paulo Rom. 4. v 25. justificatio nostra propter duas causas, nimirum propter *declarationem* & *applicationem* justitiæ acquisitæ. Quod *declarationem* attinet, Christus resurgere debebat, ut ipsâ resurrectione suâ declararet, palamq; ostenderet, se mortem vicisse, omnes hostes nostros debellasse, atq; sic plenè pro peccatis nostris satisfecisse. Quod verò *applicationem* attinet, debuit Christus esse perfectus autor nostræ salutis, non solùm eam per mortem nobis acquirendo

rendo, sed etiam acquisitam applicãdo. Quomodo verò potuisset nobis acquisita bona applicare, nisi è morte resurrexisset? *Breviter: Per mortem facta est peccatorum expiatio; per resurrectionem justitiæ collatio: nisi enim Christus ex mortuis resurrexisset, mors Christi nobis nihil profuisset.*

4. *An corpus Christi activè concurrerit ad resuscitationem sui?* Resp. quod non: Corpus enim Christi seipsum non suscitavit (quia corpore in sepulchro jacente profundissimus adhuc durabat exinanitionis status) sed λόγος excitavit corpus suum, eâ virtute atq; potentiâ, quæ corpori Christi quidem realiter communicata, in morte autem & sepulchro (ratione usûs) evacuata fuerat. Interim non dubitamus affirmare, animam quoq; Salvatoris ut vivificam ad corporis suâ vivificationem, suô modô, ex vi unionis ipsius cum λόγῳ concurrisse.

5. *An Sancti, qui cum Christo resurrexerunt, denuò sint mortui? an verò cum*

Chri-

Christo ad cœlum ascenderint? Posterius videtur probabilius: Legatur *Gerhardus in Harmon: de passione C. 18. p. 855.*

6. *An Sol in Festo Paschatos agat tripudium?* Ita vulgo videtur; eruditis absonum: quia saltem ob intermedios circa tempus vernum ascendentes vapores ita subsilire videtur.

DISPUTATIO XIII.

De

ASCENSIONE ET EXALTATIONE CHRISTI,

ex v. 8, 9. & 10. c. 4. Epist. ad Ephes. & p. 1, 2. Psal. 110.

Respondente PETRO ANUNDI Calmariensi.

Textus prior ex Epist. ad Eph. c. 4. v. 8. 9. & 10.

V. 8. Ἀναβὰς εἰς ὕψος ἠχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις.

τὸ δὲ

V. 9. τὸ δὲ ἀνέβη, τί ἐστιν, εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς:

V. 10. ὁ καταβὰς αὐτός ἐστι, καὶ ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα.

v. 1. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus.*

v. 9. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ:*

v. 10. *Qui descendit, ipse est, qui etiam ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia.*

SCHOLIA.

1. (v. 8.) Verba hæc sumpta sunt ex Ps. 68. v. 19. quibus tria prædicantur de Christo (1.) *quod ascenderit* εἰς ὕψος, *in altum*, quâ phrasi quidem ve-

rus & historicus Christi ascensus describitur, quod nimirum corpore suo verè ex loco inferiori in superiorem fuerit elevatus; ita enim historia refert *Act.* 1. v. 9. sed *terminus ascensionis* non constituitur locus quidam in sublimi supra sphæras omnes cœlestes: aliter enim Apostolus ipse mox explicat v. 10. (2.) *quod captivam duxerit captivitatem*: Ubi *captivitatem* vocat per metalepsin omnes hostes nostros spirituales, maledictionem legis, Diabolum, mortem, infernum, quibus nos captivi tenebamur; per Christum autem ex vinculis illis liberati sumus, dum morte suâ mortem destruxit, Diabolum vicit, maledictum abstulit, legem implevit, vitam, salutem ac libertatem pristinam reparavit; id quod augustissimô suô ascensu in cœlos, tanquam victor rediens in regnũ gloriæ suæ *declaravit.* (3.) *quod dona dederit hominibus.* In *Psalmo* dicitur, *Christum accepisse dona*: Paulus verô scribit, *ipsum dedisse dona hominibus*, quæ duo, ut correlata, se invicem consequuntur: In hunc enim finem Filius Dei secundùm eam naturam, juxta quam ascendit, dona verè majestatica accepit, ut nos quoq; ex plenitudine ejus acciperemus necessaria.

2. (v. 9.) Quando Paulus ait: *quid est*, non sentit, quod ascensus Christi in cœlos cum descensu ejusdem ad inferos (de hoc namq; loquitur Apostolus) identificetur, sed 1. quod ascensus ille, de Christo enunciatus, descensum antegressum *suboſtendat.* 2. quod uterq; *ad eundem gloriæ statum* pertineat. Ascensio enim Christi ad cœlos & descensio ad inferos nequaquam sibi opponuntur *ratione statûs & gloriæ*; sic namq; *eadem* sunt, docente hic Apostolo; sed 1. *ratione ordinis*, ut *antecedens suo consequenti*, & vice versâ, in eodem tamen statu. 2. *ratione distinctorum Vbi*, in quibus Christus se descendendo & ascendendo manifestavit, quod haut obscurè indicat Paulus, *Christum*, inquiens, *in inferiores terræ partes descendisse*, qui-

se, quibus verbis notatur descensus Christi ad inferos: Infernus namq; dicitur *inferiores terræ partes*, non respectu *situs*, sed respectu *indignitatis & abiectionis*, idq; κατ' ἀνθρωποπάθειαν & popularem demonstrandi rationem, quâ per corporalium rerum similitudinem congruenter ea, quæ ignota sunt, delineantur.

3. (v. 10.) In græco valde Emphaticè dicitur ὑπεράνω πάντων οὐρανῶν *longè supra omnes cœlos*. Ubi notandum, quod Græci observarunt, quando hæc vox ὑπεράνω *absolutè* ponitur, significare eam, *in cœlo*; quando verò genitivus additur, idem esse ac *longè super, vel supra*, ut Eph. 1. v. 21. Christus constitutus est ad dextram Patris in cœlestib9 ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας, longè supra omnem principatum ac potestatem. Inde colligitur, terminum ascensionis Christi *ultimum* non esse cœlum quoddam creatũ; ideòq; mox additur, Christum ita longè supra omnes cœlos ascendisse, *Vt impleret omnia*

omnia; quæ verba non aliter, quàm de *impletione locorum omnium*, intelligi possunt, ut sensus sit: Christus corpore suo ascendit in cœlum, ut eôdem suô corpore impleret omnia, vel ubiq; præsens adesset suis creaturis, non quidem *crassô impletionis modô*, sicut avena saccum, aut pecunia implet marsupium, sed *secundùm modum dextræ Dei omnia implentis*, vel præsentissimè omnibus in locis gubernantis: Et ut συλλήβδην dicam: Phrasis, *implere omnia*, de Christo usurpata, notat *Vniversalem ipsius præsentiam & operationem*.

4. Ex præmissis jam talem colligimus ascensionis Christi in cœlum descriptionem: Ascensio Christi est elevatio Christi in altum, quâ Christus juxta humanam naturam ad gloriam, Majestatemq; divinam evectus est, ut impleret omnia.

COROLLARIA.

1. Duo sunt distincti articuli, *ascensionis & exaltationis*: Ascensio verò Christi in cœlum in Scripturis descri-

bitur 1. *abstractè & distinctè*, ita ut *vel* solus ille ascensionis motus, quô Christus *juxta humanam naturam* conspicuâ formâ, subinde altiùs à conspectu discipulorum sursum versùs est elevatus; *vel* sola ad Dextram Dei exaltatio denotetur; *vel* utrumq; in eodem dicto *distinctè* ponatur, *Act.* 1. v. 9. *c.* 2. v. 33. *Marc.* 16. v. 19. confer etiam Symbolum Apost. 2. *Concretè & conjunctè*, ita ut ascensio involvat exaltationem Christi ad dextram Dei, licèt hæc non semper διαρρήδην exprimatur *Luc.* 24. v. 51. *Eph.* 4. v. 10. *Psal.* 68. v. 19. Etsi autem aliquando hi duo articuli conjungantur, nullatenus tamen debent commiscéri & confundi, sed sunt & manent distincti.

2. Differunt *abitus ad Patrem* Joh. 16. v. 5. & *ascensio in cœlum* 1. ascensio in cœlum localis fuit; transitus verò ad Patrem minimè fuit talis, ita ut putemus, illum localiter vel ullô modô *quoad substantiam* à Christo abfuisse. 2. In abitu ad Patrem Christus ne latum unguem

unguem vel pilum discessit à terris: At in ascensione ad cœlos per mediũ aërem discessit à terrâ.

3. *Johan.* 20. v. 17. inquit Christus: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum; & Deum meum & Deum vestrum.* In quæ verba ita commentatur *Cyrillus*: Non conturberis, cum dicentem audias: Ascendo &c: Nam ut *naturâ Filius Patrem*; ut autem *verus homo, Deum suum* appellat. *Caterùm* ad hoc, quod Christus Patrem suum etiam *Patrem nostrum* appellat, diligenter observemus nos cũ Christo *eundem* quidem habere *Patrem*, sed *causam & modum filiationis nostræ, & Christi* non esse eundem: *Christi* est æterna à Patre generatio: *Nostra* verò est gratuita adoptio: Filij enim Dei sumus non *naturâ geniti*, sed *gratiâ adoptionis facti.*

4. Quod *Lucas* in *Evangelio* c. 24. v. 50. discipulos à Christo *in Bethaniam* abductos esse scribit, atq; ex eo loco Dominum ab ijsdem recessisse, inq; cœlum sublatum esse, id non re-

pugnat illi, quod in *Actu* c. 1. v. 12. scribit, *in monte Oliveti* id factum esse: Nam Bethania ad montis Oliveti radices sita fuit, teste *Marco* 11. v. 1.

Textus posterior ex Psal. 110.

v. 1, 2.

נְאֻם יְהוָה לַאדֹנִי שֵׁב לִימִינִי עַד־אָשִׁית אֹיְבֶיךָ הֲדֹם לְרַגְלֶיךָ׃

DIxit Dominus Domino meo: sede à dextris meis: Donec posuero inimicos tuos scabellum pedibus tuis.

SCHOLIA.

1. (*Dixit*) In fontibus extat נְאֻם part. paul. in regimine, quod per omnes personas potest reddi, & ferè tribuitur Deo: Significat autem id propriè, certò & ceu sub juramento aliquid asseverare: Cum autem Dei dicere sit facere, *Psal.* 33. v. 9. significatur hôc verbô realis quoq; & vera Chri-

Christi ad dexteram Dei exaltatio.

2. (*Dominus*) In Hebræo extat nomen יְהוָה quod est Dei *proprium* & *essentiale*: Siquidem ipsi competunt *omnia nominis proprij requisita*, quæ vide *disput.* 15. *Coroll.* 3. Usurpatur autem hôc locô ἐμφατικῶς pro *primâ* SS. Trinitatis *personâ*, *Deo Patre* Eph. 1 v. 20. qui Christum, ut hominem ad dexteram majestatis suæ exaltavit, (subintellige) κατ' ἐξω ad differentiam Filij assumptam humanam naturam exaltantis κατ' ἔσω.

3. (*Domino meo*) In Hebræô est nomen אֲדֹנָי, quod significat sustentatorem, Dominum familiæ, vel Reipublicæ, qui est quasi basis sustinens domum: Convenienter autem hôc locô usurpatur de *Christo, quatenus is per exaltationem ad dexteram Dei factus est Dominus, plenariè, Universaliter, ac incessanter regnans* in cœlo & in terrâ, confer *Matth.* 22. v. 44. & c. 28. v. 18. *Act.* 2. v. 36. *Philip.* 2. v. 9, 10, 11. & 1. *Cor.* 15. v. 25. *Psal.* 8. v. 7.

4. (*Sede à dextris meis*) Per *dexteram* Dei non intelligitur corporalis & localis quædam dextra, sed æterna ac verè infinita potentia ac Majestas divina, unde etiam vocatur *dextera majestatis* Heb. 1. v. 3. *virtutis* Matt. 26. v. 69. quæ omnia potest mutare Ps. 77. v. 11. &c. Potentia, *inquam*, divina per dexteram Dei indigitatur, non *absolutè* considerata, sed *quatenus relatè ad τὸν λόγον personam determinatur*; quæ (sc. potentia) cum sit *eadem numerô* in Patre & Filio, imò à Patre originem ducat, & ab Ipso per æternam generationem Filio sit communicata, in *Symbolo Apostolico* dextera *Patris* appellatur.

5. *Porro τὸ Sedere ad dexteram Dei* nihil aliud est, quàm vi unionis personalis, & quæ hanc secuta est, exaltationis, infinitâ & æternâ majestate & virtute omnes creaturas & opera manuum Dei potenter gubernare & regere, 1. *Cor.* 15. v. 25. *Eph.* 1. v. 21. Phrasis ergo hæc, *sedere ad dexteram Dei* non tantùm notat regnum & imperium, sed

sed etiam indicat *causam*, undè istud sit profectum h. e. non significat *simpliciter* regnare & gubernare, quod etiam competit Christo *juxta divinam naturam*, quæ tamen non dicitur sedere ad dexteram Dei, sed realiter est ipsa dextera Dei, *naturali & essentiali suâ virtute* ab æterno omnia in cœlo & in terrâ gubernans: Verùm juxta explicationem ipsius Apostoli Pauli Phil. 2. v. 9, 10, 11. significat idem quod *regnare, vi nempe unionis personalis & subsequentis ad dexteram Dei exaltationis*, quod Christo *juxta solam humanam naturam* competit.

6. Per hanc explicationem præcipua *Calvinianorum* argumenta tanquã fumus à vento, dissipantur: Ita verò colligunt, & concludunt illi ex præsenti textu:

1. *Juxta quam naturam Christus est Dominus Davidis, juxta illam quoq; sedet ad dexteram Dei: Ratio est, quia h. l. Domino Davidis dictum est: Sede à dextris meis. Sed juxta divinam*

nam naturam Christus est Dominus Davidis. Ergo.

2. *Juxta quam naturam Christus omnia in cœlo & in terrâ gubernat, juxta eandem quoq; sedet ad dexteram Dei: Ratio est, quia τὸ sedere ad dexteram Dei nihil aliud est, quàm in cœlo & terrâ regnare, teste Apostolo 1. Cor. 15. v. 25. Sed juxta divinam naturam Christus omnia in cœlo, & in terrâ gubernat. Ergo.*

Resp. *Utriusq;* argumenti *propositio major* laborat, & per datam explicationem hôc modô est limitanda: 1. Juxta quam naturam Christus est Dominus Davidis, sc. *per unionem cum τῷ λόγῳ personalem, & subsequentem ad dexteram Dei exaltationem factus*, juxta eandem quoq; sedet ad dexteram Dei: Ratio ex superioribus petenda est. *Subsumo*: Atqui Christus non *juxta divinam*, sed *humanam naturam* per unionem cum τῷ λόγῳ personalem, & subseq: ad dexteram Dei exaltationem factus est Dominus Davidis: Juxta nam-

namq; *divinam* non est *factus*, sed *natus* Dominus. Ergo. 2. Juxta quam naturam Christus omnia gubernat in cœlo & in terrâ, sc. *vi unionis personalis, & quæ hanc secuta est, exaltationis*, juxta eandem quoq; sedet ad dexteram Dei; Ratio ex superioribus petatur: *Subsumo*: Atqui Christus non juxta *divinam*, sed *humanam naturam* sic omnia gubernat: Juxta namq; *divinam* regnat ab æternô ex *naturali & essentiali proprietate*, non *ex unionis & exaltationis gratiâ*. Ergo.

7. (*Donec*) De particula, *donec*, notanda est hæc Theologorum Maxima à *D. Nazianzeno* tradita: Particula, *donec*, *usq;*, non simpliciter futuro tempori opponitur, sed ita interjectum tempus statuit, ut interim sequens tempus non neget, vel excludat: Exempla vide sis *Matth.* 1. v. 25. *Gen.* 8. v. 7. *Psal.* 112. v. 8. *Matth.* 28. v. 20. Cum ergo constet ex S. literis, regni Christi non fore finem, sed duraturum id esse in æternum, *Luc.* 1. v. 33.

Dan.

Dan. 7. v. 14. *Mich.* 4. v. 7. Concludimus inde, particulam עד *donec* significare h. l. non cessationem Regni Christi, sed potius illius continuationem, æternamq; durationem: Scriptura enim per Scripturam est explicanda.

8. (*Posuero inimicos tuos scabellum pedibus tuis*) Per *inimicos* intelliguntur hostes Christi & Ecclesiæ, tum *Spirituales* 1. *Cor.* 15. v. 26. & 55. tum *corporales*, v. 5. & 6. *huius Psal.* Phrasis, *ponere hostes scabellum pedibus suis*, significat hostes jam debellatos & devictos omni etiã exuere potentiâ, eosq; sibi adeò subjugare, ut instar scabelli sese pedibus Victorum subjiciant: Et hoc probè observandum: Quamvis enim à Christo regnum Sathanæ jamdum fuerit *destructum Heb.* 2. v. 14. *Col.* 2. v. 15. nondum tamen *pedibus Christi penitus subjectum est*, quod demum fiet in novissimô die 1. *Cor.* 15. v. 54. in quo ultimo hostis, mors etiam ipsa planè abolebitur v. 26. quod ut rectiùs intelligatur

tur, sedulò observetur, *pugnam Christi* cum Diabolo, ejusq; organis *duplicem* esse; *unam* pugnavit in diebus carnis suæ *pro nobis*, ex potestate Satanæ liberandis: *alteram adhuc quotidiè* pugnat non tantum *pro nobis*, sed etiam *in nobis*, ut caro cum pravis affectibus & concupiscentijs crucifigatur *Gal.* 5. v. 24. & facta carnis mortificentur *Rom.* 8. v. 14. Duplicem hanc pugnam insequitur etiam *duplex* Christi *victoria*: *Una*, quam Christus ex pugnâ *priori* à Diabolo reportavit *pro nobis*: *altera*, quam quotidiè adhuc in pugnâ *posteriori* contra Sathanam ejusq; organa obtinet non modò *pro* sed & *in nobis*. Quando ergo dicimus, regnum Satanæ jamdum à Christo esse destructũ, respectu *prioris pugnæ & victoriæ* cum scripturâ id volumus intellectũ, vide *Heb.* 2. v. 14. *Col.* 2. v. 15. quando verò istud in hôc seculo pedibus Christi penitûs subjectum esse negamus, *respectu posterioris pugnæ & victoriæ* id nos intelligere oportet: quamvis enim Chri-

Christus ex hac *posteriori* pugnâ sæpius victoriam reportet, non tamen manet ab omni pugna immunis, sed haut rarò necesse habet non tantùm *pro nobis* contra hostes Ecclesiæ *corporales*, verùm etiam *in nobis* contra hostes nostros *Spirituales* in pugnam descendere, quô pactô si cum Apostolo 1. *Cor.* 15. v. 28, 54. regnum Satanæ pedibus Christi nondum penitùs subjectum dixerimus, à veritatis tramite non aberramus.

COROLLARIA.

1. *Actor.* 3. v. 21. inquit *Petrus*: *Christum oportet cœlum capere.* Ubi notetur 1. verbum, *Oportet*, quod designat h. l. *necessitatem consequentiæ*, quæ dependet à decreto divino, atq; hinc promanantibus vaticinijs Prophetarum, Ps. 110. v. 1. & ult. 2. vox *Cœli*, quæ non de sede, aut ergastulo aliquo cœli, sed de regno & gloriâ cœlesti, ac Majestatis divinæ sublimitate accipienda est *Eph.* 4. v. 8. 9. 3. græcum verbum δέξασθαι, *capere*, quod significat non localem

calem quandam contenti in continente inclusionem, sed potentem Regni cœlestis occupationem: *Capere* enim *cœlum* idem est, quod cœleste regnum & dominium occupare, confer Act. 2. v. 36. Eph. 1. v. 21.

II. *Psalmo* 110. graphicè depingitur à Prophetâ Regiô,

1. *Regni Christi conditio* v. 1. quæ *triplex*: Est enim 1. *Universale*, quod phrasis, *sedere ad dextram Dei*, indigitat 2. *perenne*, quod particula, *donec*, subinnuit 3. *Spirituale*, quod Sceptrô virtutis divinæ h. e. verbô Dei prædicatô regitur.

2. *Hostium illius prostratio & subjugatio*, v. 2.

3. *Subditorum devotio, & multiplicatio*, v. 3.

4. *Spiritualis Sacerdotii constitutio*, v. 4.

5. *Rerum à Rege Christo gerendarum descriptio* v. 5. & 6.

6. *Christi passio, & quæ eam est insecuta, glorificatio*, v. 7.

III. *Apoc.* 3. v. 7. Per *clavem Davidù*, quam Christus habere dicitur, intelligitur *Universale* Imperium seu Dominium, ad quod Christus per exaltationem ad dextram Dei evectus est: Per *Universale* autem hoc dominium, cujus in hôc articulo crebra aliàs fit mentio, intellectam volumus 1. universalitatem *subjectivam*, respectu nimirum *omnium locorum*. 2. *adjunctivam*, respectu *omnium temporum*, & 3. *objectivam*, respectu *omnium creaturarum*; & concludimus, Christum, quâ *hominem*, jam in statu exaltationis constitutum, indesinenter gubernare omnia in cœlo & in terrâ.

DISP.

DISPUTATIO XIV.

De

SPIRITU SANCTO

Ex Johan. c. 15. v. 26.

Respondente MARTINO PETRI GELÆO Medelpadiâ-Sueco.

Ὅταν ἔλθῃ ὁ παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρός, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ.

CUm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

DISPOSITIO.

DEpingitur hîc Spiritus Sanctus ratione *personæ* & *officii*: In *personâ duo* veniunt consideranda, *essentia* & *personalis proprietas*: *Utriusq;* fit mentio in textu: *Essentia* exprimitur nomine

Spiritûs: *Personalis proprietas* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ notatur verbo ἐκπορεύεσθαι à Patre, & (quod missio importat) Simul quoq; à Filio. *Officium* hîc geminum describitur, *unum* respectu *Christi*, quod est testimonium perhibere de ipso: *alterum*, respectu *nostri*, quod est παρακαλεῖν.

Scholia.

Cum Pamelius

1. Vocabulum παράκλητος est forense, & significat patronum vel advocatum, cujus est clientem in justâ causâ defendere, & in dubiâ consternatum consolari. *Utrumq;* præstat Spiritus Sanctus satis accuratè & diligenter, quod prolixius alibi docetur. Ad hoc nomen pertinet Spiritûs Sancti *interpellatio*: Interpellat autem pro nobis, *non* se dejiciendo, vel humiliter supplicando, *sed* orare nos faciendo: Ingemiscit pro nobis, *non* suspirando, *sed* pios gemitus & suspiria ad Deum nobis immittendo, preces in nobis serias & ardentes reddendo, fiduciamq; in animis nostris de exauditione infallibili accendendo, *confer Rom.* 8. v. 27. *cum v.* 16. Scriptura enim id, quod nos facimus excitati à Deo, haut rarò tribuit ipsi Deo; sic Deus dicitur cognoscere, cum facit alios cognoscere *Gen.* 22. v. 22.

Venit

2. Spiritus Sanctus dicitur ad nos *venire*, *non* locali motione, *sed* præsentiæ suæ gratiosæ manifestatione: Spiritus S. enim non movetur de loco ad locum, sed est ubiq; præsens Ps. 139. v. 7.

quem mitt.

3. Missio respectu *personæ mittentis* notat æternam & immotam voluntatem opus aliquod per alteram personam missam perficiendi: Respectu verò *personæ missæ* notat voluntatis divinæ executionem & patefactionem.

Ego

4. S. Scriptura missionem *activam* tribuit personæ *producenti*; *passivam* verò *productæ*: Missio namq; supponit productionem: Christus itaq; hîc dicitur mittere Spiritum S., quia per æternam Spirationem eum produxit:

à Patre. 5. A *Patre* verò dicitur illum mittere, quia per æternam generationem ab eo accepit perfectam δύναμιν Spiritum Sanctum Spirandi, & cum hac quoq; potestatem eum mittendi.

Spiritum 6. Spiritus Sanctus appellatur *Spiritus*, nõ tantũ *ratione communi*, quà tota Trinitas ab *essentiæ Simplicitate* Spiritus nominatur, juxta illud Christi *Joh.* 4. v. 24. Sed insuper *à personali proprietate*, à spirando voce Spiritûs deductâ, quod in illo Deitatis arcano à Patre & Filio spiretur, quâ de causâ Spiritus oris Jehovæ Ps. 33. v. 6. Spiritus labiorũ Messiæ Esa. 11. v. 4. Spiritus Christi 2. Thes. 2. v. 8. appellatur. Unde etiã porrò colligitur, Spiritum Sanctum esse verum Deum, Patri & Filio ὁμοούσιον.

Veritatis 7. Spiritus *Veritatis* dicitur 1. ratione ἀρχῆς: Est enim ipsa veritas & bonitas &c: Matth. 19. v. 17. Rom. 3. v. 4. nam quæ in creaturis sunt accidentia, in Deo sunt mera essentialia; nulla enim in Deum cadunt accidentia. 2. ratione

ratione ἐνεργείας, quia nos in omnem veritatem ducit Joh. 16. v. 13.

qui procedit 8. Verbum ἐκπορεύεσθαι notat *characteristicam Spiritus S. proprietatem*: Et quamvis hoc verbum in alijs etiam locis reperiatur, in quibus nihil prorsus de processione Spiritûs S. agitur, ut Matth. 3. v. 5. c. 4. v. 11. c. 15. v. 11. 18. c. 17. v. 21. c. 20. v. 29. &c. eò ipsò tamen veritas assertionis nostræ non infringitur: Nos enim 1. hoc tantùm volumus, eò in locò, ubi *principalis sedes* est hujus articuli, *Joh.* 15. v. 26. adhiberi solum verbum ἐκπορεύεσθαι 2. quæstio non est *de nudo & simplici hôc verbo, ejusq; variis in S. literis significationibus, sed de totâ phrasi*, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι: *Hanc* dicimus notare solam æternam S. S. à Patre & Filio emanationem per ejusdem essentiæ participationem.

9. Processio enim hæc, quâ Spiritus Sanctus tanquam charactere hypostaticò describitur, & à reliquis personis *intrinsecùs* distinguitur, nil aliud

est, quàm divinæ essentiæ, per æternam à Patre & Filio Spirationem communicatio: Estq; non *transgrediens* h. e. non consistit in recessu; sed *immanens*, ita ut Spiritus S. in Patre & Filio maneat ratione essentiæ, sed tamen ratione personæ sit ab ijs distinctus: *Breviter*: Processio hæc à Patre non est localis separatio aut discessio, sed personalis duntaxat distinctio ab eo, cum quo eandem habet essentiam. Non ergo tollitur, sed potius extollitur hac processione S. S. cum Patre Filioq; *essentialis unitas*.

à Patre

10. *A Patre* dicitur procedere, sed non *exclusivè, à solo* Patre: Licèt enim ῥητῶς in S. literis non dicatur à Filio procedere, ἀμφιλικῶς tamen, seu per bonam consequentiam id dilucidè infertur, 1. quia à Filio mittitur, quæ missio productionem præsupponit. 2. quia à Filio per adspirationem datur Joh. 20. v. 22. super quẽ locũ ita commentatur *Augustin. Flatus ille corporeus substantia Spiritûs S. non fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tantum à Patre, sed etiam à Filio procedere S. S.* 3. quia dicitur Spiritus Filij Gal. 4. v. 6. Christi Rom. 8. v. 10. oris & labiorum Christi Esa. 11. v. 4. 2. Thess. 2. v. 8.

11. Spiritus Sanctus ergo *immediatè* procedit à Patre & Filio simul, ad *eundem prorsus modum*, tanquam ab uno συνδυαζομένω. Pater & Filius quidem differunt τῇ ἰδιότητι, τῇ ἀσία tamen & unâ eâdemq; spirationis ἐνεργείᾳ unũ sunt, & ut unum in spirando συνδυαζόμενον unum & eundem Spiritum producunt.

12. *Immediatam* ab utrôq; processionem statuimus, & nihilominus rectè dicimus, *Spiritum S. à Patre per Filium procedere*, si nimirum *ordo* duntaxat *personarum* hac phrasi indicetur, non verò *ordo virtutis spirativæ*, atq; sic quoq; inæqualitas. *Origo* quidem processionis hujus ad Patrem redit, qui Filio hanc ipsam perfectam spirandi δύναμιν per æternam generationem dedit: Veruntamen non sunt *duo spirantes*, nec *duæ spirationes*, sed sicut

una est δύναμις spirandi, patri & Filio communis, ita quoq; unus tantùm est spirans, & una spiratio, & una ab utroq; processio.

Ille testimonium perhibet 13. Spiritus S. perhibet testimonium de Christo partim *internè* & *privatim* in uniuscujusq; fideliũ corde, Gal. 4. v. 6. Rõ. 8. v. 16. partim *externè* & *publicè* per ministros Evangelij 2. Pet. 1. v. 21. qui proinde martyres seu testes veritatis dicuntur Act. 1. v. 8. Intrinsecũ autẽ testimoniũ Spiritûs S. ab extrinseco reipsâ non differt: Quod enim extrinsecùs per ministerium verbi testatur, idem quoq; intrinsecô suô testimoniô in cordibus hominum obsignat.

14. Ex præmissis talem colligimus Spiritûs S. descriptionem: *Spiritus S. est tertia SS. Trinitatis persona, à Patre & Filio in unitate essentiæ procedens, de Christo in verbo Evangelii & cordibus piorum testificans, iisq; solatium & auxilium præstans.*

COROLLARIA.

1. Pro-

1. Processio Spiritûs S. sit *modô ineffabili*: Scimus quidem *rem ipsam* sivè τὸ ὅτι, *quod* procedat, sed ignoramus *modum* seu τὸ διότι, *quomodo* hæc processio fiat.

2. Quod Spiritus S. nullam de se producat personam aliam, id divinæ Ipsius Majestati usq; adeò nihil adimit, ut eandem potius inenarrabiliter illustret 1. quia cum producentium & productorum non sit infinita in Deitate series, SS. Trinitas omnimodam suam perfectionem consequitur in ἐκπορεύτῳ Spiritûs S. & in eâ ceu basi terminatur & acquiescit: Perfectio enim SS. Trinitatis requirit, ut in aliquâ personâ productio illa terminetur. 2. quia à perfectissimis spirantibus ipse perfectissimus est productus, eandem numero essentiam, Deitatem, omnipotentiam, sapientiam &c. absolutissimâ κοινωνίᾳ, quæ ἀσπάδης est, ὁλικῶς obtinens & possidens.

3. Ἀχρόνως dicitur: Pater & Filius abæterno in essentiæ unitate ex

se

sese spirant Spiritum S: Et Spiritus S. à Patre & Filio procedit, *quàm*: Pater & Filius ex substantiâ suâ spirant Spiritum S. Et Spiritus S. ex substantiâ Patris & Filij procedit.

4. Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedit, non tantùm ratione *personæ*, verùm etiam ratione *essentiæ*: Communicatio enim naturæ, quæ est in spirantibus, prorsus inseparabilis est à spiratione & processione. Essentia ergo divina *Spiritûs S.* h. e. in Spiritu S. *determinatè* accepta, à Patre & Filio per æternam spirationem Ipsi est communicata, *quod ex seqq. illustrius patebit.*

5. Spiritus S. est à Patre & Filio 1. ratione *essentiæ*, non quidem quoad esse *absolutum*, sed quoad esse *relatum*, h. e. *quoad modum habendi.* 2. ratione *personæ*: Pater enim & Filius Spiritum S. spirando aliam produxerunt personam. 3. ratione *operationis*: Propter originem enim existentiæ, quam Spiritus S. habet à Patre & Filio, non agit *à se*, sed *à Patre & Filio.* 6. Es-

6. Essentia divina consideratur bifariam: 1. *absolutè & ratione sui*, & sic caret origine 2. *relatè & ratione communicationis, Spiritui S. factæ, quatenus* scilicet per æternam spirationem Spiritui S. est communicata, & sic originem habet in Spiritu S. à Patre & Filio. *Breviter*: Essentia divina originem habet *in Spiritu S.* sed non à *Spiritu S.*

7. Differunt persona, & personalis proprietas: *Hæc* est propria cujusq; personæ subsistendi ratio, seu proprius subsistendi modus: Illa vero est ipsa essentia divina, proprio subsistendi modô insignita & distincta.

8. Prædicatio hæc: *Pater, & Filius spirant Spiritum Sanctum*; nec est essentialis, nec accidentalis: Ergo inusitata.

DISPUTATIO XV.

De

MYSTERIO SS. TRINITATIS

Ex 1. Johan. 5. v. 7.

Respondente M. SUENONE BERNHARDI Junepolino-Sveco.

TEXTUS.

Τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι.

TRes sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.

SCHOLIA.

1. Autoritas hujus loci Canonica ab *Arcio* & *Hemmingio* Calvinianis, ab *Erasmo* Papicolâ, ab *Anabaptistis* & modernis *Photinianis* prorsus elevatur, quæ tamen sequentibus innititur fundamentis, 1. antiquissimorum & probatissimorum exemplarium Græcorum testificatione. 2. variarum versionum, Latinarum & Germanicarum collatione. 3. Scriptorum Ecclesiasticorum assertione. 4. Textûs connexione. 5. Cum alijs Evangelistæ testimonijs consensione. 6. versiculi hujus cum fidei analogiâ conciliatione. 7. hæreticæ fraudis patefactione. Consulat de his, quî vult, *D. Mich. Waltheri Harmen. Scripturæ super h. l.* ubi quoq; argumenta in contrarium adducta simul profligantur: Et *Anti-Osterod. D. Feurbornii disp. 4. thesib. 11. 12. & seqq.* 1. Joh. 5. v. 7.

2. Vocabulum *Tres*, notat personarum *Trinitatem* & *distinctionem*. Vox, *Trinitas*, ἀπολέξει vel ῥητῶς h. e. *secundùm literam seu quoad verba & explicitè* in S. Scripturâ non extat; habetur tamen in eadem ἀναφορικῶς, *secundùm sensum, quoad rem ipsam, implicitè, & necessariâ consecutione*: Sicut enim ab *uno* descendit *unitas*, ita quoq; ex vocabu- Tres

lo.

lò, *tres*, vi conjugatorum infertur *Trinitas*. Ubi notetur quoq; *discrimen* inter *Trinitatem* & *Triplicitatem*: *Illa* notat tres ὑποστάσεως modos in unitate essentiæ: *Hæc* innuit compositionem quandam ex tribus, quæ cùm in simplicissimam Dei essentiam non cadat, rectius in hoc mysterio usurpatur vocabulum, *Trinitas*, vel Trinitas, Dreyeinigkeit/quàm *Triplicitas*, Dreyfaltigkeit: Et licèt tres sint in unitate essentiæ hypostaticæ proprietates, illæ tamen essentiam divinam nec componunt, nec multiplicant, cum nihil reale superaddant essentiæ, quod sit ab ipsâ realiter distinctum; Sed tantùm efficiunt, ut personæ ab invicem realiter distinguantur: *Breviter*: Proprietates personales *ad essentiam divinam* comparatæ, sunt realiter idem cum illâ: *Ad se invicem* verò comparatæ faciunt reale personarum discrimen.

3. Porrò *Trinitas personarum* ex vocula, TRES, meridianâ etiam luce clarius enitescit, atq; insuper demonstratur 1. *luculentè S. Scripturæ V. & N.T. testificatione*, *Ps.* 33. v. 6. *Esa.* 6 v 3 c. 48. v. 16. c. 63. v. 8. 9. 10. *Joh.* 14. v. 26. c. 15. v. 26. 1. *Joh.* 5. v 7. 2. *Cor.* 13. v. 13. *Gal.* 4 v. 4. 1. *Cor.* 8. v. 6. &c. Ad meliorē horū dictorū intelligentiā faciūt seqq. *regulæ*, quæ propterea singularē merētur observationē: (a) Ubicunq; Patris & Filij fit mentio in scriptura, ibi Spiritus S. subintelligitur, qui per Scripturā loquitur 2. *Pet.* 1. v. 21. (b) Testimonia Trinitatis personarū in N.T. sunt lucidiora, quàm in V. Major enim lux reservata fuit N.T. (c) Pluralis numerus de Deo usurpatus personarum distinctionem arguit *Gen.* 1. v. 1. c. 3. v. 2. *Iere.* 10. v. 10. (d) Nominis Jehovæ in eâdem sententiâ repetitio pluralitatem personarum in unâ essentiâ indivisâ designat *Esa.* 6 v. 3. (e) cum Deus de Deo loquitur, pluralitas personarum in unitate essentiæ innuitur. *Gen.* 19. v. 24. *Esa.* 60. v. 19. 2. *Illustri singularum personarum revelatione, factâ in baptismo & transfiguratione Christi, Matth.*

3. v. 16. c. 17. v. 5. &c. *Vbi nota*: quod quælibet persona *distinctè* apparuerit, non arguit essentiæ diversitatem, sed personarum Trinitatem, earumq; realem distinctionem, ac diversum apparitionis & manifestationis modũ. In ejusmodi quoq; apparitionibus personæ Trinitatis ab invicem localiter erant separatæ, *quoad externas nimirum figuras*, quibus apparuerunt, non autem *quoad essentiam* vel *essentialem distinctionem*: nam ex separatione signorum & figurarum externarum, separationem essentialem rerum, quarũ illæ sunt figuræ, minimè licet colligere. 3. Formulæ baptismi institutione, in quâ expressa fit mentio trium personarum, Patris, Filij, & Spiritûs S. *Matth.* 28. v. 19.

4. Vocabulum, *tres*, *distinctionem* quoq; personarum haut obscurè innuit: Si enim tres, utiq; ab invicem verè distinctæ sunt. Distingvuntur autem personæ Trinitatis, 1. πρώτως τρόποις ὑπάρξεως, *modis subsistendi*, *vel personalitatibus*: Sed in quònam consistat propria cujusq; personæ personalitas, ignoramus: ἀπὸ τῆ κοινῆ quidem τρόποι ὑπάρξεως describuntur operibus ad intra, cuiq; personæ proprijs, *ut in disputatione de Spiritu S. dictũ*; Verùm si ἀκριβείας hîc velimꝰ adhibere, τρόποι ὑπάρξεως ab operibus istis ad intra omninò distinguendi esse vidẽtur, licèt eos ignoremus: nam opera ista ad intra notant propriè originẽ, *tàm* ipsius personalitatis, *quàm* essentiæ divinæ, (relatè consideratæ,) quam Pater habet à semetipso; Filius à Patre; Spiritus S. ab utroq;: Differunt autem *origo*, & *res* (ut sic mihi loqui liceat) *originata*. 2. διυπάρξεως *duplici* modo 1. *ordine*: Pater enim est *prima* persona, quia est producens tantùm; Filius est *secunda* persona, quia est producens & productus simul: Spiritus S. est *tertia* persona, quia est productus tantùm, & sic terminus dicitur SS. Trinitatis. 2. *Operatione*, eâq; vel *internâ*, cuilibet personæ propriâ, ut

 sunt;

sunt; *Patris, gignere*; *Filij, gigni*: *Spiritûs S. procedere*: vel *externâ*, quam Deus exercet in creaturis extra se, quatenus sc. hæc *relatè* consideratur, cum certô & peculiari modô agendi conjuncta. Opera namq; Dei *ad extra* considerantur vel 1. *absolutè*, h. e. sine distinctione modi in agendo; atq; sic indivisa vel communia sunt omnibus tribus personis SS. Trinitatis: Sic enim attribuuntur illis, *quatenus* sunt una essentia divina *absolutè* considerata: Omnes namq; tres personæ nihil aliud sunt, quàm una illa essentia divina *absolutè* considerata, & vice versâ: Sicuti ergo *essentia ipsa* consideratur vel *absolutè* vel *relatè*; ita etiam *agendi potentia*; Et sicuti *hæc*, ita *etiam opera*: 2. *relatè*, h. e. quando peculiaris agendi modus attenditur; atq; sic *distinctè* distinctis personis attribuuntur.

5. Cæterùm majoris dilucidationis ergò quæritur, *qualis* sit distinctio inter personas SS. Trinitatis, num *realis* vel *modalis*? Discrepant hic Theologi:

logi: *alij* modalem, *alij* realem vocant: Sed *utraq;* sententia subsistere potest, rectâ terminorum distinctione adhibitâ: *Modalis* enim distinctio *aliquando* media statuitur inter realē & rationis: & tùm realis distinctio speciatim significat eam, quæ est inter distinctas res ac diversas essentias: *Rationis* verò distinctio significat eam, quæ ab intellectu tantùm proficiscitur: Et hôc modô Personæ Trinitatis non dicuntur *realiter* differre, quia unam tantum numerô habent essentiam, non diversas: Nec *ratione* tantùm differunt, quia præcisâ etiam mentis operatione, vel intellectu nō cogitante ab invicem distinguuntur: sed *modaliter* seu τρόπος ὑπάρξεως. *Aliquando* verò modalis distinctio reali subjicitur, quatenus realis distinctio est omnium eorum, inter quæ differentia est, intellectu etiam non-cogitante: Atq; hac ratione Personæ Trinitatis *realiter* differre dicuntur, *non* quod intelligantur diversas habe-

re essentias, *sed* quod una persona, præcisâ mentis operatione, non sit alia, interq; se opponantur relationibus oppositis.

Sunt 6. Verbum εἶναι, *esse*, hîc idem significat, quod ὑφίστασθαι *subsistere*: Numerus enim pluralis hujus verbi, *sunt*, non potest referri ad essentiæ unitatem, sed notat hôc locô personarum seu ὑποστάσεων pluralitatem, quæ se invicem permeant in unitate essentiæ Johan 14. v. 10. Una quippè tantùm numero est essentia divina, in quâ tres personæ subsistere dicuntur; unde quoq; *persona definitur hyphistamenon vel subsistens individuum intelligens, incommunicabile, non sustentatum alio.*

qui testimonium 7. Intelligitur hîc *testimonium de Christo*: Quæstio enim *in hoc capite* est de verâ in Christum fide, quod *Jesus sit Christus*, seu Messias in V. T. promissus, & in N. exhibitus h. c. quod Jesus ex Mariâ Virgine natus & per Apostolos prædicatus sit verus Dei Filius;

lius; & quod Jesus Dei Filius ab æterno à Patre genitus sit etiam verus homo, ex virgine in tempore natus, & quod Jesus, ille verus Deus & verus homo sit etiam noster mediator, Redemptor & Salvator, qui sanctissimâ suâ obedientiâ, & plenissimâ sanctificatione perfectam justitiam & vitam æternam nobis acquisivit, confer c. 5. v. 1, 4, 5, 10, 11, 12, 13, 14. c. 4. v. 2, 3. Ad hanc quæstionem probandam præter cætera quibus usus est Apostolus, argumenta, producit in hoc versiculo tres testes cœlestes, Patrem, Verbum, & Spiritum S. omni exceptione majores v. 9. qui sunt ipsa veritas v. 7. Si quis ergò his testibus non credit, Deum facit mendacem v. 10.

8. Fertur seu datur ab unoquoq; illorum de Christo testimonium 1. *immediatè* & quidem *distinctè*, *à Patre Matth.* 3. v. 17. c. 17. v. 5. *Luc.* 3. v. 22. *à Verbo seu Filio Dei, Joh.* 3. v. 11, 32. c. 8. v. 14. *à Spiritu S. Johan.* 1. v. 32, 33. *Matth.* 17. v. 5. Ad hoc immediatum testimo- *Dant*

nium Apostolus digitum præcipuè intendit in hôc versiculo. 2. *mediatè*, v. 8. per aquam, Sanguinem & Spiritum h. e. per baptismum, Cœnam Dominicam, & διακονίαν seu ministerium Spiritus 2. *Cor.* 3. v. 8. quod etiam Spiritus appellatur 2. *Thess.* 2. v. 13.

In cœlo 9. Vox *Cœli* notat h. l. cœleste regnum, quod non *locô*, sed *Dei majestate & cœlesti gloriâ* definitur: *Talia enim sunt prædicata, qualia permittuntur à subjectis*: Sic Deus dicitur *in Cœlo esse Matth.* 5. v. 47. c. 6. v. 9. *habitare in cœlis* Ps. 2. v. 4. & *prospicere de Cœlo* super filios hominum, Ps. 14. v. 2. non certè è supremo aliquo cœlo creato, sed è cœlesti suâ Majestate & inaccessâ luce, quam non locus, sed conditionis diversitas à terris dispescit *Jerem.* 23. v. 24. Ex quibus porrò colligitur, phrasin hanc Apostolicam, *testari in cœlo*, notare idem, quod *esse cœlestes & divinos testes*. Sunt & alij, qui ἐν οὐρανῷ pro ἀπ' οὐρανῷ accipi existimant, quia Apostolus de tali loquitur testimonio, per

per quod *fides* piorum confirmatur *in hac vitâ*, non *visio in alterâ*, quæ testimonij non est indiga.

10. *Patris* nomẽ accipitur dupliciter *Pater*
1. ἰδιοσυμβόλως *personaliter*, ratione ad intra, vel respectu Filij ab æterno geniti, *pro primâ duntaxat personâ* Trinitatis, Filiũ ὁμοούσιον in unitate essentiæ ab æterno gignente, Ps. 2. v. 7. Ps. 72. v. 17. quo sensu etiam *hoc locô* accipitur: Ubi enim Pater Filio & Spiritui S. contradistinguitur, ibi vox Patris ἰδιοσυμβόλως accipitur: Istud autem fit hôc locô: Ergo. 2. ὁμοουσίως *essentialiter*, ratione ad extra, seu respectu creaturarum, *pro totâ SS. Trinitate*: Sic Deus dicitur Pater *generatim omnium hominum ratione creationis, generationis, & redemptionis* Eph. 4. v. 6. Malach. 1. v. 6. c. 2. v. 10 Matth. 6. v. 9. c. 23. v. 9. Esa. 64. v 8. c. 63. v. 16. quo respectu *amor* etiam ejus est *generalis* erga omnes homines Joh. 3. v. 16. Rom. 5. v. 8. 1. Joh. 4. v. 9. Et *speciatim* dicitur quoq; Pater *credentium*, respectu nimirum *regenerationis*, *adopti-*

adoptionis, & *specialis dilectionis* Joh. 3. v. 5. Rom. 8. v. 17. Esa. 49. v. 15.

Verbū 11. Per λόγου seu *Verbum* intelligitur Filius Dei, secunda Trinitatis persona, ab æterno à Patre in unitate essentiæ genita: Appellatur autem λόγος 1. κατὰ τὸ ἔσω ad intra, respectu Patris, cujus est imago Heb. 1. v. 3. sicut enim λόγος vel sermo noster effigies est mentis nostræ; ita etiam Filius est imago genitoris, totum genitorem in se exprimens & ostendens: 2. κατὰ τὸ ἔξω ad extra, respectu nimirū 1. *omnium creaturarum*, quia per λόγου omnia sunt facta, *Gen.* 1. v. 3. &c. *Joh.* 1. v. 3. *Psal.* 33. v. 6. 2. *Ecclesiæ*, quia est legatus voluntatem Patris revelans *Joh.* 1. v. 18. *Heb.* 1. v. 2.

& Spiritus 12. Vox, *Spiritus*, hôc locô accipitur non ἀτομῶς: sic enim tota SS. Trinitas dicitur Spiritus h. e. Spiritualis essentia Joh. 4. v. 23. sed ὑποστατικῶς pro tertiâ Trinitatis personâ, quæ à Patre & Filio in unitate essentiæ ab æterno procedit: Appellatur autem Spiritus 1. *ratione communi, propter essentiæ simplicitatem*, quam cum Patre & Filio habet communem. 2. *ratione Specialis, propter personalem proprietatem*, quâ ab æterno à Patre & Filio spiratur; unde quoq; Spiritus *oris Iehovæ* dicitur Psal. 33. v. 6.

13. Non autem simpliciter *Spiritus* dicitur, sed cum epitheto, *Sanctus* Spiritus: sic enim appellatur 1. *ratione* ἁγίας, quia ipse essentialiter Sanctus est *Levit.* 11. v. 44. unde natum est *axioma*: Spiritus S. per essentiam sanctus est: Angeli per gratiam creationis: credentes per gratiam regenerationis. 2. *ratione* ἐνεργείας, quia veræ sanctitatis autor est, omnesq; credentes verè sanctificat 1. *Cor.* 6. v. 11. & sanctos motus in cordibus hominum excitat *Rom.* 8. v. 14. 3. *ratione* διαφορᾶς, quia per sanctitatem suam à spiritibus malis distinguitur, unde quoq; ad differentiam appellatur *bonus* Spiritus Ps. 143. v. 10.

14. Particulæ ὅτι ὁ τρεῖς *masculini* Exhis gene. tres

generù, digitô quasi indice monstrant, intelligi hic testes *propriè dictos*, vivos intelligentes, volentes, & per se subsistentes, naturâ ac essentiâ divinos, atq; à se invicem verè distinctos, qui sunt unum æternâ & infinitâ Deitate: unde pro Trinitate personarum talis promanat syllogismus: *Omnù testiù propriè dictus, vivus, intelligens, volens & per se subsistens est vera persona: Pater, Filius & Spiritus S. sunt tales tres testes.* Ergo.

Unum. 15. Deniq; tres hæ personæ SS. Trinitatis dicuntur *Vnum* esse, non tantum ὁμονοίᾳ h. e. *unitate solius voluntatù, consensûs, concordiæ & testificationù*, sed vel maximè etiam ὁμουσίᾳ h. e. *unitate essentiæ divinæ*: quod modus ipse loquendi haut obscurè innuit: Apostolus enim (1.) non dicit: *Vnum volunt* sed *Vnum sunt*: nec (2.) dicit, εἰς τὸ ἓν εἶναι *in Vnum* sunt, ut de testificantibus in terra v. 8. loquitur; quæ phrasis consensûs & testificationis unitatem designat; sed *absq; præpositione* simpliciter dicit, ἓν εἶναι, *Vnum sunt*, quæ phra-

phrasis potissimù ὁμουσίαν vel essentiæ divinæ unitatem indigitat, in quâ tres personæ SS. Trinitatis subsistunt, & se invicem permeant, quod verbù plurale, *Sunt*, perspicuè indicat, ut ex Sunt. Scholio 6. patet: His congruit, quod *Cyrillus lib. 7. in Ioh. c.* 10. scribit: Quod dixit, *Vnum*, liberat te ab Ario, separante Filiù à substantiâ Patris: Quod dixit, *Sumus*, liberat te à Sabellio, confundête personâ Patris & Filij sine discretione: Si *Vnum*; Non ergo *diversum*: Si *sumus*; Ergo Pater & Filius. Nec (3.) dicit, *Vnus*, sed *Vnum*; illud notat unitatê personæ; *hoc* unitatê essentiæ: Cù itaq; in Deo sit *alius* atq; *alius*, h. e. alia atq; alia persona, sed nõ *aliud* atq; *aliud*, h. e. alia atq; alia essentia, non inscitè dixit Apostolus, sunt *Vnum*. His conforme est, quod *August. tract. 36. in Ioh. c.* 10. ait: Non dixit, *Pater ego sum*: aut *Ego & Pater unum* (aliter, unus) *est*: sed cũ dicit: *Ego & Pater unum sumus*: utrumq; audi: & *Vnum*, & *sumus*. & à Charybdi & Scyllâ liberaberis.

16. Ex

16. Ex quibus omnibus *duo* colliguntur porisma ta (1.) *quod non sint tres Dij, sed unus tantùm in essentia & trinus in personis*: Ad hoc enim ut sint tres Dij, plura requiruntur, quàm ad hoc, ut sint tria ὑφιστάμενα vel tres personæ: Ut enim sint tres personæ, requiruntur hæc duo 1. *vera cujusq; subsistentia*, ut unum non insit alteri, ut accidens subjecto, 2 & *vera cujusq; distinctio*, ut una non prædicetur de alterâ. At verò ut sint tres Dij, tertium etiam postulatur, nempe ut sint etiam *essentiâ* à se invicem distincti. *Duo priora* non desiderantur in Patre, Filio & Spiritu S. Ergo sunt tria verè distincta ὑφιστάμενα: *Tertium* autem non cadit in eos propter essentiæ identitatem & simplicitatem.

17. (2.) *quod tres personæ divinæ in unitate essentiæ divinæ se invicem permeent, ita ut vi hujus* περιχωρήσεως *seu permeationis essentialis Pater sit in Filio; & Filius sit in Patre; & Pater & Filius sint in Spiritu S. & Spiritus S. sit in utroq;* ut docet

cet Christus Joh. 14. v. 10. Est enim hæc περιχώρησις (quæ distinctionis ergo à περιχωρήσει *personali* inter divinam & humanam Christi naturam *essentialis* dicitur) arctissima personarum Trinitatis unio essentialis, quâ una persona est in alia propter unam eandemq; numerò essentiam. Requisita ergo illius sunt tria 1. *realis personarum distinctio* 2. *arctissima earum ad invicem præsentia*, & 3. *una simplexq; essentia*. His manum de tabulâ.

COROLLARIA.

(1.) Psalmo 118. v. 27. in fonte Hebræo hæc extant verba אִסְרוּ חַג בַּעֲבֹתִים עַד־קַרְנוֹת הַמִּזְבֵּחַ: quæ *ratione typi propriè* ità sonant: *ligate Sacrificium festi densis ac contortis funibus usq; ad cornua altaris*: Agitur in hoc Psalmo de regno Christi, quod ut aliàs hinc inde in Prophetis *Amos* 9. v. 11, 12. *Obad. v. ult. Mich.* 4. v. 1, 2. verbis & phrasibus V. T. describitur, *ita* quoq; hic verba & phrases sunt V. T.

res

res autem N. T. Sensus ergo hujus versiculi est: *Vt in V. T. funibus mactandas victimas ligabant verè & propriè ad cornua altaris; ita in N. T ac regno Christi Christiani sua Sacrificia ligent metaphoricè ad cornua altaris Jesu Christi, qua si fide apprehendunt, tuti sunt contra vim Diaboli & mortis æternæ.* Versio itaq; germanica: Schmücket das Fest mit Meyen/ biß an die Hörner des Altars: ratione typi propriam verborum Hebræorum significationem non exprimit; id quod probatur 1. ex radice אָסַר quæ *propriè* significat, *ligavit*, non *ornavit*; cumprimis verò, vbi verbũ אסר cum בַּעֲבֹתִים jungitur, ut h. l. ibi non potest non propriè accipi, vel ita saltem, ut phrasi V. T. res N. T. intelligatur. 2. ex voce plurali עֲבֹתִים quæ *propriè* & sæpissimè notat densos funes, præcipuè quando אָסַר ut h. l. aut simile verbum ei jungitur; siquidem funibus vincimus aut ligamus Judic. 15. v. 13. c. 16. v. 11, 12. Esa. 5. v. 18 Ps. 2. v. 3. Psal. 129. v. 4. In numero verò singulari עָבֹת *metaphoricè* & ob similitudinem, quam habent densæ frondes, interq; se nexibus complicatæ, cum funibus, atq; ita rarò significat omnis generis frondes & ramos complicatos, Levit. 23. v. 40. Nehem. 8. v. 15. 3. vox חַג *hôc locô* pro sacrificio festi usurpatur, ut Exod. 23. v. 18. Esa. 29. v. 1. Malach. 2. v. 3. 4. In libris V. T. non legitur ullum festum fuisse ornatum frondibus betularum usq; ad cornua altaris; Ergo inde non potest phrasis desumi, quæ regnum Christi in N. T. describat. Res enim & phrases V. T. quæ typum exprimunt rerum N. T. in V. T. fuisse in usu necessum est, quia ijs phrasibus & rebus, quæ populo Judaico non erant notæ, res N. T. illis in V. T. non potuerunt declarari. 5. Si intelligitur hic *metaphoricè* altare N. T. Christus, vox אָסַר non potest significare h. l. *ornavit*, quia nos Christum non ornamus, sed omnem ornatũ Spiritualem ab ipso

S acci-

accipimus Joh. 1. v. 16. Sed verum *prius*: Ergò & *posterius*.

Verùm licèt hæc ita sint, eapropter tamen à sententia *Lutheri* non omninò discedimus, sed potius propriam ratione typi significationem verborum Hebræorum investigando, eam illustramus: *Sicuti* enim Lutherus hunc Psalmum contra Judæos explicat de regno Christi, *ita* & nos: Et *sicut* ipse hæc verba intelligit de actionibus Christianorum in N. T. *ita* & nos. *Breviter*: Lutherus in interpretatione horum verborum magis respexit *ad antitypum*, quàm *ad typum*: Nos verò *propriam ratione typi significationem verborum Hebraorum* inquirimus. Nec planè etiam improbamus *applicationem* horum verborum ad nostra tempora, quæ *per comparationem* à Concionatoribus fieri solet & potest hòc modo: *Sicut olim in festis solennioribus V. T magnô numerô ad templum afferrebant sacrificia; ita in N. quoq; T. ubi illæ umbræ, corpore præsenti, desierunt, in hoc festo Pente-*

costes possumus ornare nostra templa frondibus betularum exteriùs, interiùs autem debemus nostra corda & corpora, Spiritus S. templa, ornare multis Deo per Christum gratis sacrificiis 1. Cor. 3 v 16. & 6. v. 19. 2 Cor. 6. v. 16. 1. Pet 2. v. 5.

(2) Johannes Baptista fuit *extraordinarie* & *immediate* in utero materno à Spiritu S. regenitus: Adhuc enim in alvo maternâ delitescens fide intuitus est præsentem Messiam, ob cujus præsentiam præ gaudio in eâ subsiliit, quod factum est ex singulari operatione & impulsu Spiritus S. Gaudium verò istud est fructus fidei *Gal.* 5. v 23. Si igitur Johannes in utero materno adhuc conclusus verâ in Christum fide fuerit donatus, utiq; in eo à Spiritu S. *immediatè* atq; *extraordinarie* fuit regeneratus: *Ratio* consequentiæ est, quia regeneratio *formaliter* consistit in donatione fidei: sed *prius* est verum, quia effectus arguit causam: Ergo & *posterius*. Quamvis autem in utero materno fuerit regenitus, non

tamen absq; peccato originis est conceptus & natus: Regeneratio enim tollit solummodò *reatum* peccati, non autem *vitium ipsum*.

(3.) Nomen יְהוָה est Dei proprium, quia omnia requisita nominis proprij habet, quæ sunt 1. destitui numero plurali 2. carere ה Emphaticò præfixô, 3. non poni in statu regiminis. 4. neq; affixa ulla in fine admittere. Quis enim unquam legit in Biblijs יְהוֹוֹת, הַיְהוָה, יְהוַת, יְהוֹךָ? Cum verò occurrit בַּיהוָה, id non fit propter ה Emphaticum extrusum, sed (-) sub ב oritur ex mutatione ֶ (:) propriæ vocalis particulæ ב, propter duo schevaim concurrentia, quorum posterius post patach & chireck parvum frequenter abjicitur. Porrò quãdo occurrit in Prophetis, potissimùm in Haggæo & Zachariâ יְהוָה צְבָאוֹת Dominus exercituum, prius constructum vel in formâ regiminis non est, sed per Ellipsin nominis אֱלֹהֵי in hac structu â interponendi, ex illis locis, in qui-

in quibus expressè adjicitur in plenâ constructione, dici concludimus, vide 1. Reg. 19. v. 10, 14. Jere. 5. v. 14. c. 15. v. 16. c. 35. v. 17. c. 44. v. 7. Ps. 89. v. 9. Ose. 12. v. 6. Amos 3. v. 13. c. 5. v. 14, 15, 16. c. 6. v. 14.

(4.) Vox, Deus, quando de Creatore enunciatur, *directè* substantiam, sive naturam, *indirectè* potestatem vel dignitatem significat: vel quod idem est: Naturam & essentiam *significat*: potestatem verò & dignitatem *consignificat*.

(5.) Proprietates personales seu hypostaticæ Patris & Filij sunt duplices: *Vnam* sibi planè singularem obtinent, Pater nimirum ἀγεννησίαν; Filius verò γέννησιν: *Alteram* sibi communem habent, quæ dicitur *spiratio activa*, quâ Pater unà cum Filio, & Filius unà cum Patre consubstantialem & coæternum sibi Spiritum producunt.

Illa distinctionis gratiâ appellari potest *singularis*, *hæc* verò *Communis*.

DISPUTATIO XII.

De

UNIVERSALI MERITO CHRISTI.

Respondent NICOLAO OLAI Calmariensi, Philosophiæ Candidato.

THESIS I.

AUreola sunt Christi Salvatoris nostri verba *Joh.* 3. v. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

II. Brevia quidem illa sunt, sed ponderis maximi; *Tres* enim hîc *causæ salutis nostræ* proponuntur à Christo ipso in unum quasi fasciculum collectæ, quarum

III. 1. *Primaria* dilectio & gratia Dei, verbis istis (*Sic Deus dilexit mundum*) expressa, *Justificamur enim gratis ipsius gratia Rom.* 3. v. 24. *Rom.* 11. v. 6. *Eph.* 2. v. 8.

IV. *Ob-*

IV. *Objectum* etiam dilectionis additur, & designatur nomine *Mundi*. quod amplitudinem dilectionis Dei nobis commendat, & per *Synecdochen continentis pro contento* notat omnes ac singulos in universum homines, *tum* fideles *tùm* infideles Joh. 3. v. 18. ita ut ne unum quidem individuum ab hac dilectione sit exclusum. Istos autem omnes, non *hypocritico* nec *simulato*, sed *purissimo ardentiss.* ac *perfectiss.* complexus est amore, quod particula, *sic*, non obscurè innuit, adeò ut rectè dicamus, Deum nos diligere *extensivè, intensivè & durativè* Ps. 117. v. 1, 2.

V. 2. *Meritoria*, verbis istis (*ut Filium suum unigenitum daret*) comprehensa. Filius enim Dei, obedientiâ suâ *tàm* activâ *quàm* passivâ nobis omnibus justitiam & salutem æternam acquisivit, *Matth.* 5. v. 7. *Gal.* 3. v. 13. & 4. v. 4.

VI. 3. *Instrumentalis*, vel *organica*. salutem in verbo ac Sacramentis oblatâ *apprehendens*, verbis istis (*ut omnis,*

qui credit in eum &c.) contenta: Sola enim fides est medium seu instrumentum, quo Christum, cum suâ obedientiâ, justitiâ & merito apprehendimus & nobis applicamus. *Rom.* 3. v. 28. *Rom.* 4. v. 5. Gal. 2. v. 16. *Eph.* 2. v. 8.

VII. Quoniam verò *priores duæ* causæ à Calvinianis contra S. Scripturæ tenorem ad particularitatem restringuntur, visum est nobis impræsentiarum *alteram*, nempè *meritoriam* sub incudem disquisitionis revocare, ejusque *universalitatem* ab Antagonistarũ φλυαρίας vindicare.

VIII. Ne verò disputatio nostra extra cancellos vagetur, *status controversiæ* omnium primò rectè formandus est: Illum ergo *sequenti themati* inclusum exhibemus: *Christus omnes homines morte suâ redemit*: quod *duplici* persequemur viâ 1. κατασκευαστικῇ, quâ ὀρθοδοξίαν Lutheranam confirmabimus. 2. ἀνασκευαστικῇ, quâ ἑτεροδοξίαν Calvinisticam refutabimus.

κατασκευὴ τῆς ὀρθοδοξίας, vel assertio veræ sententiæ Lutheranorum.

IX. *Subiectum* hujus thematis, *Christus*, est nomen personæ, ex duabus naturis, *divinâ* & *humanâ*, ad invicem *personaliter* unitis compositæ: Christus enim, *inquit Damasc. lib.* 3. *Orthod. c.* 3. τὸ συναμφότερον νοεῖται, id esse intelligitur, quod ex utroq; constat, vide etiam *Athanas. Orat.* 5. *contra Arian.*

X. Ut autem hæc rectè intelligantur, probè notandum venit, nomen *Christi dupliciter* considerari 1. *grammaticè, quoad nativam significationem*, atq; sic notat *unctum*: Descendit enim à græco verbo χρίειν, quod significat *ungere*. Cum ergo Christus Salvator noster secundùm *solam humanitatem*, non *divinitatem* sit unctus, hinc nomen *Christi quoad nativum sensum* notat quidem suppositum, sed *secundùm humanam tantùm naturam*. 2. *Theologicè, quoad Ecclesiasticam usurpationem*, & sic est nomen

officii Christi tergemini, quod cum secundùm *utramq;* naturam ipsi competat, sequitur hinc nomen *Christi quoad Ecclesiasticam acceptionem* totum notare suppositum ex utrâq; naturâ constans, *quo pacto etiam id in themate nostro volumus acceptum.*

XI. *Redemptionis* enim opus Christus secundùm utramq; naturam, divinam & humanam, perfecit: Conferantur *loca Gal.* 4. v. 5. 1. *Ioh.* 1. v. 7. & 3. v. 8. *Rom.* 5. v. 10. & c. 8. v. 32. 2. *Cor.* 5. v. 19. *Ierem.* 36. v. 6. c. 33. v. 16. *Esa.* 35. v. 4. *Ose.* 1. v. 7. 1. *Tim.* 2. v. 5. *Luc.* 9. v. 55. *Heb.* 2. v. 14. *Gen.* 3. v. 15. *Heb.* 4. v. 15. &c. Huc etiam pertinet regula Concilij Chalced. *Utraq; natura in Christo agit cum communicatione alterius, quod cujusq; proprium est.*

XII. De *totò* igitur *Christò* (notatur *persona*) & *totô Christi* (notantur *naturæ*) dicitur in themate nostro, quod *redemerit*, quô verbo respectus importatur ad *officium Christi Sacerdotale*, quod *tres* complectitur partes, quarũ 1. con-

1. constitit *in forma Dei exinanitione, ac forma servi assumptione, Philip.* 2. v. 6, 7. 2. *In legu divina pro nobis impletione, & pœnarum pro peccatis nostris persolutione* h. e. *in obedientiâ Christi activâ & passivâ Phil.* 2. v. 8. *Matth.* 5. v. 17. *Rom.* 12. v. 19. *Gal.* 4. v. 4. 1. *Pet.* 2 v. 24. 1. *Ioh.* 2 v. 2. 3. *in perpetuâ apud Patrem cœlestem pro nobis intercessione*, quô intuitu propriè noster *Advocatus* dicitur 1. *Ioh.* 2. v. 1. *Rom* 8. v. 34.

XIII. *Prædicatum* nostri thematis, *redemit, priores duas partes*, quarum respectu propriè *redemptor* noster appellatur, concernit. Intelligitur verò non *nuda & simplex*, sed *satis actoria* redemptio, interveniente solutione precij, quod est ψύχη *Matth.* 20. v. 28. *Ioh.* 10. v. 15. καὶ αἷμα Christi 1. *Pet.* 1. v. 19. facta. Quotiescunq; enim redemptioni & acquisitioni adjungitur λύτρον, toties significat non simplicem liberationem, sed veram recompensationem & satisfactionem.

XIV. At, *inquis, determinatur* illud prædi-

prædicatum in themate *per mortem* hôc modô: *morte suâ* nos redemit: quod digitum videtur intendere ad *solam* obedientiam Christi *passivam*, exclusâ *activâ*, ut nihil dicam de *priori* parte. Resp. 1. Passiva activam *includit*, non *excludit*, adeò ut etiam in ipso mortis agone virtus activæ obedientiæ per dilectionem mirificè se exeruerit, dum Christus pro hostibus crucifigentibus se, patrem oravit, Johanni discipulo matrem commendavit, latronem, peccatis remissis, in gratiam recepit &c. quod *Hebr.* 2. v. 14. etiam probatur. Est itaq; *activa* obedientia Christi, cũ *passivâ* arctissimô individuôq; nexu conjuncta, qui facit, nominatâ in articulo justificationis *unâ*, simul intelligi etiam *alteram*, undè verissimè dicitur, quod Christus in vita *passivam* exercuerit *actionem*, & in morte *activẽ* sustinuerit *passionem*. 2. Verba igitur illa *morte suâ*, hic non sunt διαχωριτικὰ *separativa*, sed διακριτικὰ *distinctiva*, h. e. non

non *separant* obedientiam *activam* à *passivâ*, sed tantùm *distinguunt*. 3. Quod redemptio hic *morti* adscribitur, fit *secundùm quid*, quia nimirum *illa* præcipua pars, adeoq; ultima obedientiæ consummatio est, & ratio meriti inde fit nobis evidentior, quia atrocitatẽ peccati ex supplicijs rectissimè cognoscimus. *Joh.* 19. v. 30. *Phil.* 2. v. 8.

XV. Quod verò 1. *morte* nos redemisse dicitur, eò ipsô quidem *principaliter* indigitamus *extremos corporis & animæ cruciatus*, quibus vinculum unionis *physicæ*, non *hypostaticæ*; *animæ & corporis*, non *naturarum*, dissolutum & disruptum fuit *Matth.* 26. v. 38. & 27. v. 46. *verùntamen* cæteras, quibus Christus à primo nativitatis articulo *tàm* animâ *quàm* corpore nostri causâ fuit expositus & obnoxius, miserias, infirmitates, dolores, cruciatus, ignominias non *secludimus*, sed *præsupponimus*, quin imò *totum exinanitionis statum* hîc involvimus.

XVI. Et quidem 2. *suâ*; eò ipsô ad

ad totum Christum cogitationes nostras dirigimus, significantes, non ψιλὰνθρωπον nudum hominem, sed θεάνθρωπον Deum & hominem verè passum & mortuum esse; Undè propositiones istæ *hypostaticæ* vel potius ex hypostaticâ duarum in Christo naturarum ortæ nascuntur: *Deus passus, crucifixus & mortuus est*, non quidem *subjectivè & formaliter*, in *abstracto*, vel *in proprietate naturæ*, sed *hypostaticè*, κατ' ἰδιοποίησιν, *in concreto*, vel *unitate personæ*, veruntamen *verè & realiter*, non φλυαρῶς vel *nudâ phrasi & formâ loquendi*, salvô interea manente discrimine principij passionis & mortis *quod* & *quo*; *illum* personam, *hoc* naturam humanam dicimus, ad quod particulæ διαχριτικαὶ, *secundum carnem* Rom. 1. v. 3. *in carne* Eph. 2. v. 14. & similes talibus propositionibus annexæ respiciunt. *Rom.* 8. v. 32. 1. *Cor.* 2. v. 8. *Act.* 3. v. 15. & 20. v. 28. *Rom.* 5. v. 20. *Gal.* 2. v. 20.

XVII. *Objectum* redemptionis in themate nostro particula, *nos*, declarat: Redemit *nos homines, quatenus* peccato

cato *tùm* originali *tùm* actuali infecti & inquinati eramus; & quidem à peccatis omnibus, quocunq; nomine veniant; item à mortè, à potestate Sathanæ & damnatione æterna; *Sanguis* enim *Jesu Christi emundat nos ab omni peccato* 1. *Joh.* 1. v. 7. 2. *Cor.* 5. v. 19. *Gal.* 4. v. 5. &c.

XVIII. Non autem ad quosdam duntaxat nostrûm pertinet ista redemptio, sed ad nos *Omnes*; ipse dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. 1. *Tim.* 2. v. 5. Quod tamen de *præstatione, acquisitione & oblatione* ipsa, non de *applicatione*, quæ fit per fidem, quâ cum plurimi destituantur, redemptionis non redduntur participes, *culpâ suâ, non Dei*, Luc. 8. v. 12. & 4. v. 16. Matth. 22. v 3. acceptum volumus: non autem obstamus, quominus etiam de *applicatione*, quæ fit *per intentionem & consilium Dei*, intelligatur, juxta illud Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes &c.* Marc. 16. v. 16. *prædicate Evangelium omni creaturæ* sc. *humanæ*

mana, Rom. 11. v. 32. *conclusit omnes sub incredulitatem* (scil. *judicialiter* vel tanquam justus judex omnes pronuncians vel judicans incredulos; non *causaliter*) *ut omnium misereretur*; Item *Ezech.* 33. v. 11. 2. *Pet.* 3. v. 9.

XIX. De hac ipsa *universali* omnium hominum redemptione, cum inter nos & *Calvini* sectatores sit gravissima controversia, disputationem publicam adornabimus, & sententiam Lutheranorum, quam orthodoxam agnoscimus, 1. *autoritate sacrarum literarum* & 2. *rationibus ex ipsis fontibus Israëlis haustis adstruemus.*

XX. Primùm itaq; quod attinet *autoritatem SS. Scripturæ*, statuimus huc pertinere omnia Scripturæ dicta, quæ meritum Christi, 1. *ad omnes*, adeoq; 2. *ad universum mundum* extendunt, quæq; 3. de *universali voluntate Dei*, 4. *Universali Evangelij annunciatione & beneficiorum oblatione* 5. *eorumq; rejectione & contemptu*, ac 6. *contemptorum pœnâ* loquuntur; quorum cum magnus sit cumu-

cumulus, ex singulis unum duntaxat eligimus, nostroq; instituto accommodamus.

XXI. 1. Ex illis ergo, *quæ meritum Christi ad omnes homines extendunt*, sumimus *illud* 1. *Timoth.* 4. v. 10. *Christus est Salvator omnium, maximè autem fidelium*: Progreditur hic Paulus ἀναλυτικῶς à genere ad speciem, ab omnibus hominibus ad fideles. Vocatur autem Salvator *omnium*, propter *acquisitionem*; maximè *fidelium* propter *acquisitionem & applicationem simul.*

XXII. 2. Ex ijs, *in quibus idipsum universo accommodatur mundo*, producimus illud classicum 1. *Johan.* 2. v. 2. *Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantùm, sed pro totius mundi.* Hîc procedit *Johannes* συνεκδικῶς à specie ad genus, ab electis ad omnes in universum. Nec quicquam valet exceptio *Calvinianorum*, præsidium in vocabulo, *mundi*, quærentiũ, & ad *solos* electos & credulos restringentium. Nam 1. non admittit restrictio-

ctionem istam distributio illius dicti, quæ *duo* membra distribuentia, complectitur, quorum 1. *non pro nostris autem tantùm*, 2. *Sed pro totius mundi peccatis*. Hæc ipsa planè expiraret, restrictione admissâ: Sic enim alterum distributionis membrum, quod *mundum* ineluſum tenet, cũ priore coincideret, & omninò collaberetur. 2. Non admittit illam ἀνάλυσις, quæ hac ratione παυτολογίας non effugeret; vocabulò namq; *mundi*, ad *solos* electos & credulos coarctatò, hic sensus dicti elicitur: *Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris h. e. fidelium tantùm, sed etiam pro totius mundi*, id est, sensu Calvinisticò, *fidelium*. Sed quis eò insipientiæ processit, ut sapientiam Spiritûs S. παυτολογίας insimulare ausit?

XXIII. Nusquam, nusquam in Sacris literis vocabulum *mundi* pro electis & credulis *solis* usurpari, à toto nostratium Theologorum choro annotatur. Accipitur enim illud *dupliciter* 1.

ter 1. *Theologicè*, & quidem geminò modò 1. *Synecdochicè* pro nobilissima mundi parte, videlicet hominibus; Et vel pro *reprobis & infidelibus tantùm*, ut *Joh.* 14. v. 17. & 17. v. 9. 1. *Joh.* 5. v. 19. vel pro *omnibus tàm fidelibus, quàm infidelibus*, ut *Ioh.* 3. v. 16. *Rom.* 5. v. 12. 1. *Ioh.* 2. v. 2. 2. *Metaphoricè & metonymicè*, pro omni eo, quod adversatur regno Christi spirituali, pro peccatis, vanis cupiditatibus &c. *Gal.* 6. v. 14. 1. *Joh.* 2. v. 16. 2. *Philosophicè* & sic itidem *variis* modis; *Pro Systemate cœli & terræ*, & vocatur μακρόκοσμος, mundus magnus; item *pro cœlo* & vocatur mundus æthereus, *Plin. lib.* 2. *hist. c.* 4. *Macrob. in Somn. Scip. lib.* 1. *c.* 20. *& lib.* 2. *c.* 11. *&c. pro elementis & corporibus corruptibilibus in iis contentis*, & dicicitur mundus elementaris; *pro homine*, & dicitur μικρόκοσμος, parvus mundus, eò quod analogicè in homine ferè omnia reperiantur, quæ in *magno mundo* vel *hôc universô* deprehenduntur, ut Philosophi fusiùs id docent &c. Varias hic

as hîc percipimus significationes, sed nullam *Calvinistarum* opinioni faventem. Quarè sensus dicti talis emergit: *Christus est propitiatio non tantùm pro peccatis fidelium, sed etiam infidelium, adeoq; omnium & singulorum hominum, licèt ipsi hoc non credant.*

XXIV. 4. Ex omnibus ijs, *quæ agunt de voluntate Dei Universali*, excipimus illud 1. *Tim.* 2. v. 4. *Deus vult omnes salvos fieri.* Hoc ad meriti Christi *universalis* confirmationẽ ita applicatur. *Quos Deus salvos vult fieri, pro iis etiam Christus est mortuus, eosq; morte suâ redemit.* Siquidem nõ nisi interveniente fide, quâ Christum redemptorem nostrũ apprehendimus, qui nobis passione & morte suâ, justitiam ac salutem æternam promeruit, vult nos salvos fieri; *At Deus vult omnes salvos fieri. E.*

XXV. Ut *minor* manifesta & immunis fiat à corruptelis *Calvinistarum*, sequentia in loco citato veniunt annotanda 1. *Vanum effugium*, quod quærunt Calviniani in verbo, *vult*, quod voluntatem *signi* h. e. in verbo revelatam, quâ Deus *externè* omnibus salutem offert, denotare scribunt; non autem *beneplaciti*, sive arcanam & absconditam, quâ plerisq; salutem denegat. Verùm hæc distinctio 1. contrarias in Deo voluntates ponit. 2. aut certè unam Dei voluntatem *contrarium* velle, *aliud* palàm, *aliud* clàm, arguit 3. in hôc sensu Calviniano non est in scriptura fundata, sed ex scholasticorum trivijs orta. 4. Eadem est voluntas *signi*, quæ *beneplaciti*; *Hæc* enim ab æterno abscondita, *quatenus* in tempore per Evangelium nobis revelata *Rom.* 16. v. 26. 1. *Cor.* 2. v. 7. *signi* voluntatis nomine venit. 2. *vocula*, *Omnes*, quam Calviniani διαιρετικῶς de *generibus singulorum*, non συνθετικῶς de *singulis generum* explicant, ita ut sensus sit: *Deus vult omnes* h. e. *ex omnibus aliquos salvos fieri.* Verùm 1. sunt ista pura puta Calvinianorum plasmata & inania teretismata.

Opponimus huic explicationi regulam Theologicam: *Semper obtinet sensus literalis, quando non impingit in aliquem fidei articulum, vel in textus manifestiores, neq; aliqua parit absurda.* 2. Ipse textus has ἀδυνατίας quisquilias luculenter refutat v. 5. 6. 7. Hîc annotanda est 3. distinctio *inter propensionem divinæ voluntatis ad salvandum, & inter propensionis huius effectum, actum & salvationem ipsam.* Loquitur Apostolus in loco citato de *illâ*, non de *hâc*. 4. Distinctio *voluntatis divinæ absolutæ & conditionatæ*; vult Deus non *absolutè*, sed *conditionatè* per fidem, quam omnibus & singulis in verbo & sacramentis offert, omnes salvari. Ex his itaq; talis dicti profluit sensus: *Deus propendet secundùm voluntatem suam ab æterno quidem absconditam, sed in tempore per evangelium revelatam ad salvandum omnes per fidem in universum homines*; quod insuper roboratur *Ezech.* 33. v. 11. *Ioh.* 3. v. 16. *Rom.* 11. v. 32. 2. *Pet.* 3 v. 9.

XXVI. 5. Ex ijs, *quæ agunt de universali*

li Evangelij annunciatione & beneficiorum oblatione, in nostrum usum segregamus *illud Marc.* 16. v. 16. *prædicate Evangelium omni creaturæ.* Hôc meritum Christi *universale* ita astruitur: *Quibus Christus iussit prædicare vel annunciare Evangelium, & beneficia morte suâ parta offerre, eos ipsos etiam morte suâ redemit*; siquidem illorum gratiâ abegavit Apostolos in universum mundum ad prædicandum Evangelium, *Matth.* 28. v. 19. Et instituit sacramenta, quibus offert beneficia redemptionis suæ, ut illa apprehendant, sibiq; per fidem applicent; Qui enim baptizati sunt, in mortem Christi baptizati sunt *Rom.* 6. v. 3. At *jussit prædicare omni creaturæ* h. e. quodcunq; ex creaturis in hôc mundo Evangelium audire potest, ut explicatur *Luc.* 24. v. 47. intelligitur autem homo, qui dicitur secundùm *Gregorium* creatura κατ' ἐξοχὴν *propter excellentiam. Ergo.*

XXVII. Ut verò *minori* sua constet veritas, inquirendum est nobis, quâ ratio-

ratione prædicatio Evangeij *universalitatem suam, omnes homines concernentem*, obtinere queat, præsertim cum in plerisq; hominibus in Ecclesia natis & degentibus nullus ejus conspiciatur fructus; Et apud eos, qui extra eam versantur, Evangelium non prædicetur; *Tria* hîc nobis sunt breviter enucleanda 1. *Quomodò prædicatio Evangelii sit universalis?* 2. *quomodò apud homines intra Ecclesiæ sinum degentes reddatur inefficax & particularis?* 3. *quomodo apud eos, qui extra Ecclesiæ pomœria sunt constituti, sit actualis?*

XXIIX. *Primum* quod attinet, statuimus *tribus* modis prædicationem Evangelij *universalem* esse 1. ratione *intentionis Dei*, quâ vult omnibus annunciari suam gratiam *Ezech.* 3. v. 11. 1. *Tim.* 2. v. 4. 2. *Pet.* 3. v. 9. 2. ratione *mandati*, quia præcipit istud in toto orbe prædicari *Matth.* 28. v. 19. 3. ratione *promissionum*, quia omnibus gratiam & misericordiam suam pollicetur *Matth.* 11. v. 28. *Rom.* 11. v. 32.

XXIX. Ad

XXIX. Ad *secundum* dicimus, prædicationem Evangelij *ex parte hominum*, illud à se repellentium, non *Dei* nec *Evangelij* ipsius, & sic *per accidens* reddi *inefficacem* & *particularem Matth.* 23. v. 37. *Esa.* 65. v. 2. 12. *Proverb.* 1. v. 24. *Per se* & *naturâ suâ* verbum Dei ita est comparatum, ut nunquam revertatur vacuum *Esa.* 55. v. 11. *Ex accidente* autem ob incredulitatem hominũ fit, ut *aliter* cadat.

XXX. Ad *tertium duo* dicimus 1. prædicationem Evangelij tempore Apostolorum fuisse actualem, etiam apud quosdam eorum prædecessores, qui extra Ecclesiæ gremium jam degunt, juxta *illud Marc.* 16. v. 20 *Rom.* 10. v. 18. *Col.* 1. v. 6. & 23. 2. Quod autem hoc tempore non sit actualis, fieri *ex accidenti*, ob ingratitudinem parentum, quorum peccata Deus visitat in tertiam & quartam generationẽ Exod. 20.

XXXI. Ut autem hæc clariùs patescant, *duo* iterum annotanda nobis offeruntur. 1. Distinctio *voluntatis antece-*

cedentis sive misericordiæ & consequentis sive justitiæ; *Illâ* quidem Deus vult omnibus annunciari & prædicari Evangelium, non tamen *absolutè*, sed *conditionatè*, si illud semel oblatum & annunciatum non respuerint, vel à se repulerint: Cum itaq; hæc conditio ab illis gentilibus non sit servata, voluntate Dei *consequenti* vel *justitiæ* meritas luerunt majores, & jamdum luunt eorum posteri in delicta patrum consentientes, contemptûs & ingratitudinis suæ pœnas, atq; prædicatione istius actuali privantur, quæ tamen privatio non indicat *absolutum quoddam Dei odium*, sed *justum* potius contemptûs & affectatæ negligentiæ *supplicium*, quo in contemptores verbi sui animadvertit; Nec *hoc voluntatis consequentis iudicium* tollere potest *universalem* vocationem, quæ ab *antecedente* dependet. 2. Discrimen *prædicationis Evangelii & missionis filii*: Hic omnibus actu est *missus*, sive eum recipiant, sive respuant, sed non omnibus

semper actu *Evangelium prædicatur*: Qui enim illud à se repellunt, ijs non perpetuò offertur, sed coguntur audire sententiam *Pauli Rom. 2. v. 8. His, qui veritati non obtemperant, sed injustitiæ, ventura est indignatio.*

XXXII. 6. Ex ijs, *quæ agunt de Evangelii & beneficiorum rejectione & contemptu*, sumo illud ex 2. *Pet. 2. v. 1. In vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum abnegant.* Hoc ita nostrum Thema stabilit: *Quodcunq; meritum extenditur etiam ad eos, qui Christum abnegant, illud non restringitur ad solos electos & fideles: Sed Christi meritum extenditur etiam juxta illud Petri ad eos, qui abnegant idipsum:* Expresè enim dicitur; *Et eum, qui emit eos, Dominum abnegant:* Verba enim hæc Apostoli sunt intelligenda de ijs, qui prius fuerunt verè fideles & sanctificati, ut patet ex *v. 20. 21. & 22.* pro talibus verò Christum esse mortuum, quis eat negatum? Applicatio enim & collatio semper præsupponit acquisitionem. *Ergo.*

XXXIII. 7. Ex illis, *quæ pœnæ contemptorum Evangelii & beneficiorum Christi mentionem faciunt*, nostræ assertioni aptamus parabolam Christi, *Luc.* 8. v. 13. hôc modô: *Quodcunq; meritum extenditur ad multos, qui ob contemptum Evangelii & beneficiorum Christi damnationi adjudicantur, illud non coarctatur ad solos electos & credulos: At Christi meritum* est tale: extenditur enim ad illos etiam, qui credunt duntaxat ad tempus, & tempore tentationis recedunt, eaq; propter æternæ damnationi obnoxij fiunt. *Ergo.* Hæ sufficiant, quas pro defensione nostri Thematis in proscenium producere voluimus ex sacro codice, *autoritates*.

XXXIV. Nunc, ordine ita flagitante, ad *rationes* mentem nostram convertimus, quarum cum in antecedentibo pro necessitatis ratione nonnullas intertexuerimus, minori, quod ab initio condiximus, impendio sumus præstituri, & paucas de obedientia Christi *activâ & passivâ* pro nobis præstitâ

stitâ *rationes* adduturi; reliquas verò de *forma Dei exinanitione ac forma servi assumptione* alij tempori reservaturi.

XXXV. *Primùm* itaq; incumbit nobis ostendere, *Christum obedientiam activam pro omnibus in universum hominibus legi præstitisse*, quod sequentibus astruere nitemur rationibus 1. *Quos Deus vult justificari, pro iis etiam Christus legem implevit obedientiâ suâ activâ.* Absurdum enim est dicere, homines justificari sine omni prorsus impletione legis: Hoc enim è diametro pugnaret cum justitiâ divinâ, quæ legis, quam tulit, impletionem exigit, eamq; vel *propriam* vel *alienam*. Cum verò nosmetipsi eam implere nequiverimus; siquidē scriptura disertis verbis testatur, legē esse jugū, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus, *Act.* 15. v. 10. *Rom.* 8. v. 7. 2. *Cor.* 3. v. 5. Christus nostri locô perfectissimam ei obedientiā exolvit *Rom.* 8. v. 3. & 10. v. 4. *Assumpt. Sed Deus vult omnes homines justificari Joh.* 3. v. 16. *Rō.* 11. v. 32. 1. *Tim.*

1. *Tim.* 2. v. 4. *&c. Ergo pro omnibus Christus legem implevit obedientiâ suâ activâ.*

XXXVI. Non est quod hîc excipias, nostram justificationem esse *merè gratuitam*: Respectu quidem *nostri* merè gratuitam eam pronunciamus: Nihil enim Deus in nobis invenit bonum, cujus qualitate, dignitate aut meritô nobis condonet peccata, æternæq; salutis participes nos faciat; respectu verò *Christi* non est gratuita, sed meritoria. Ipse enim perfectissimam legi persolvit obedientiam, non quidem *respectu propriæ suæ personæ* debitam; aliàs sequeretur, Deum ipsum etiam esse legis debitorem & servum, (quippe Christus πάνθρωπος obedientiam legi præstitisse dicitur) quod absurdum in Theologia, blasphemum & contumeliosum in ipsius Christi majestatem: Sed *nostri locô*, siquidem ut non *sibi* natus, sed *nobis* Esa. 9. ita non *pro se*, sed *pro nobis* legi subditus fuit.

XXXVI. *Qui legem Dei propriâ obedientiâ*

entiâ implere nequeunt, pro iis Christus suâ activâ obedientiâ satisfecit. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantùm, sed pro totius mundi 1. *Joh.* 2. v. 2. ipse est agnus Dei, qui tollit peccata mundi *Joh.* 1. v. 29. ubi non tantùm intelliguntur peccata *commissionis*, sed etiam *omissionis*, pro quibus obedientiâ suâ satisfecit. *Assumpt. Sed nemo hominum propriâ suâ obedientiâ legem implere potuit Proverb.* 20. v. 9. *Eccl.* 7. v. 21. *Gen.* 6. v. 5. *Ps.* 14. v. 3. *Rom.* 11. v. 31. *Ergo.*

XXXVIII. Quamvis verò in sacris literis nonnunquam *perfectionis* vel *perfectæ* quorundam *obedientiæ* fiat mētio, *perfectiq;* commendentur, ex eo tamen concludere non possumus pro nostra vel omnium hominum obedientiâ, legi divinæ debitâ: Illa enim scripturæ dicta loquuntur vel 1. *de perfectione relativâ*, ad infirmiores & imbecilliores collatâ, non *absolutâ*, quam lex à singulis hominibus, sub comminatione æternæ mortis exigit. 2. *De perfe-*

perfectione partium, quæ cernitur etiam in obedientia *inchoatâ*, & consistit in eo, ut fiat citra hypocrisin, externam similationem, ex syncero animo ac corde; non *de perfectione graduum, Deut.* 6. expressâ, quæ consistit in dilectione Dei & proximi ex toto corde, totâ animâ &c. 3. *de perfectione imputativâ Christi*, per fidem nobis applicatâ; *non de subjectiva vel habituali* 4. *de perfectione consummatâ vitæ æternæ*, non *inchoatâ vitæ præsentis*. 5. *de præceptis*; quibus nobis quidem injungitur & mandatur perfecta obedientia legi præstanda, sed exindè colligere nullô modô fas est, quod mandatum illud exequi valeamus. *A præcepto enim ad posse non valet consequentia, &c.*

XXXIX. 3. *Quorum causa Christus venit in mundum, carnemq; assumpsit, pro iis etiam legem implevit*, juxta illud ad Gal. 4. v. 2. *postquam venit* &c. *Matth.* 18. v. 11. *Luc.* 19. v. 10. *Filius hominis venit ad salvandum vel servandum, quod perierat*: Salvat autem vel servat nos implendo legem,

legem, quod *tribus* modis factum 1. *præstando Legi perfectam obedientiam activam*, imò *perfectissimam*, quia nec *originali* vitiô; nec *actuali* aliquô peccatô debilitata, quandoquidem Christus 1. juxta Deitatem est ipsa sanctitas, 2. secundùm humanitatem est ille ius τῷ λόγῳ essentialis sanctitatis personaliter particeps factus, 3. integritate insuper habituali, h. e. omnium virtutum perfectissimô habitu fuit exornata salvatoris humanitas. 2. *Sustinendo pœnam sufficientem*, quam nos nostrâ inobedientiâ meriti eramus, quod supra probatum, 3. *docendo & illustrando verum & genuinum intellectum legis*, quod præstitit *Matth.* 5. v. 4. *Assumpt. Sed omnium hominum causâ venit in mundum, carnemq; assumpsit*, quod liquet ex protevangelio *Gen.* 3. v. 15. & 12. v. 3. *in semine tuo benedicentur omnes gentes Esa.* 9. v. 6. *Nobis natus est puer* &c. Ergo.

XL. 4. *Si Christus passione & morte suâ omnes homines redemit, pro omnibus quo-*

activâ suâ obedientiâ legem implevit; *Sed prius verum*, ut ex antecedentibus luce meridianâ clarius est. *Ergo & posterius.* Ratio connexi est, quia sine obedientia *activâ*, passio nulla fuisset sufficiens ad generis humani reconciliationem: Non enim peccata *commissionis* saltem erant *passione & morte* Christi expianda, sed & legi, nostri locô obtemperandum, atq; peccata *omissionis* obedientiâ ipsius *activâ* pensanda.

XLI. Verùm hic scrupulus posset nos vellicare de *peccati commissionis & omissionis* distinctione: Quæritur enim, *an non Christus obedientiâ suâ passivâ expiârit & peccata omissionis*? Eximitur hic scrupulus nobis sequenti responsione: Nullum peccatum est, quod non *geminum* illum respectum habeat, ut *aliâ* ratione possit dici *commissionis*, *aliâ omissionis*; Etiamsi in *aliquibus* defectus *omissionis* præponderet, in *aliquibus* vitium *commissionis*, undè etiam fit denominatio. Proindè circa omnia singulaq; peccata expianda, occupata est suo

suô *distinctô* modô obedientia Christi *utraq;*, ita ut quod *omittitur faciendum*, pensetur *impletione Christi*, & quod *committitur non faciendum*, expietur Christi *morte atq; sanguine*.

XLII. Addimus & 5. hanc rationem, quod obedientia Christi *activa* sit infinita, *perfectionis nomine* infinitô intervallô omnia Angelorum servitia transcendens, siquidem non *hac tantùm perfectione* gaudet, quod *omni ex parte* legi divinæ sit cõformis, sed *& supra Angelorum & hominum obsequia perfectione quâdam eminet incomparabiliter sublimiore*, quæ ex *obedientis personæ dignitate* resultat atq; dependet: Eaq; propter injustitiam nostram cumulatè pensat.

XLIII. Sed regerat quispiam, *obedientiam Christi activam certi temporis periodô, nempe diebus exinanitionis fuisse circumscriptam, ideoq; finitam. Resp.* Obedientia Christi activa consideratur 1. *ratione actûs*, qui cum fuerit certô temporis spaciô expeditus, sanè finitam

tam Christi obedientiam arguit. 2. *ratione meriti*, quod est sempiterna Dei gratia & justitia nostra æterna. 3. *ratione personæ obedientis*, quæ est unigenitus Dei Filius, infinitæ essentiæ & potentiæ. Cum itaq; obedientiam Christi activam dicimus infinitam, *rationem meriti & personæ*, non *actûs*, eam volumus acceptam; *eôdem* modò, quò peccata nostræ inobedientiæ sunt *actu* quidem finita, ratione verò 1. *reatûs* 2. *objecti*, nempè infinitæ æternæq; Dei justitiæ, in quam impingunt, infinita reputantur. Et hactenus de ijs rationibus, quæ *obedientiam Christi activam* pro omnibus & singulis hominibus persolutam, stabiliunt.

XLIV. De *passivâ* ergo nunc pauca etiam in apricum producemus, quoniam in præcedentibus partem illarum attigimus: Sit itaq; 1. *Quorum peccata Christus sustulit, pro iis etiam obedientiâ suâ passivâ satisfecit.* Propositio est vera ex *anteced.* nam satisfaciendo h.e. exolvendo *activam* & *passivam* obedien-

dientiam Christus sustulit nostra peccata. *Assumpt. sed totius mundi peccata sustulit. Ergo.*

XLV. 2. *Quicunq; vocantur ad pœnitentiam, pro iis Christus passus & mortuus est.* Pœnitentiæ namq; præcipua pars est fides, quæ præsupponit meritũ Christi, quod apprehendit. *Ass. sed omnes etiam impii vocantur ad pœnitentiam Ezech.* 33. v. 11. *Ergo.*

XLVI. 3. *Quicunq; in Adamo moriuntur, pro illorum salute Christus passus & mortuus est; At omnes moriuntur in Adamo, E.* Major & Minor certitudinem suam habent in 1. Ep. Cor. 15. v. 22. & alibi.

XLVII. *Si Christus pro electis duntaxat mortem illam ignominiosissimam pertulit, electi soli fuerunt oves errantes: sed consequens à veritate scripturæ alienum. E. & antecedens:* Ratio connex: & consequent: fluit ex *Esa.* 53. v. 16.

XLIIX. 5. *Si Christus pro peccantibus in Spiritum S. mortuus est, non pro electis & credentibus solis obedientiam passivam præstitit: sed verũ prius. E. & posterius.* Ratio assumpti promanat ex definitione pec-

cati in Spiritum S. Est enim nihil aliud, quàm agnitæ & in conscientiâ approbatæ veritatis Evangelicæ, destinatô consiliô facta, ac libera abnegatio, cum pertinaci impugnatione & voluntaria blasphemia conjuncta. Hinc pro astruenda veritate *assumpti* tale nectimus argumentum: *Qui agnovit & in conscientia approbavit veritatem Evangelicam, is in Christum credidit, credendo meritum Christi apprehendit, & per consequens è censu illorum, pro quibus Christus persolvit obedientiam suam passivam, nequit excludi: Sed peccantes in Spiritum S. agnoverunt, & in conscientiis suis approbarunt veritatem evangelicam. E.*

XLIX. Ut jam nostram *orthodoxiam* concludamus, eas, quas *hactenus* recitavimus, rationes, in *unum* colligimus syllogismum, qui talis est: *pro quibus persolvit Christus obedientiam suam perfectissimam cùm activam, tùm passivam, ad eos spectat quoq; redemptio: Sed pro omnibus in universum hominibus persolvit obedientiam cùm activam tùm passivam perfectiss. E. ad*

E. ad omnes quoq; in universum homines spectat redemptio. Propositio extra dubium ponitur, quia redemptio consistit in persolutione utriusq; obedientiæ. *Assumptio* per allatas rationes est roborata. *Plura* qui desiderat argumenta, inspiciat *Locos communes* nostratium Theologorum, magnum illorum cumulum nobis subministrãtium. Tantum de κατασκευῇ τῆς ὀρθοδοξίας, quam excipit

Ανασκευὴ τῆς ἑτερδοξίας Calvinisticæ vel refutatio falsæ opinionis Calvinianorum.

L. Quam nos hactenus claris scripturæ *testimoniis ac rationibus* ex ipso sacrarum literarum fonte depromptis astruximus & demonstravimus doctrinam, eam cimmerijs allaborant inficere tenebris *Calviniani*, statuentes, *Christum non pro omnibus in universum hominibus, fidelibus & infidelibus, sed pro solis electis passiones & cruciatus subiisse; neq; omnes, sed solos electos morte suâ redemisse*, ut scribunt *Beza in antith. Colloq.*

Colloq. Momp. It. in resp. part. 2. ad acta Martyr. inc. 1. ad Rom.

LI. Cum autem videant, se extra scripturæ veritatisq; Evangelicæ tramitem evagari, 1. in subsidium assumunt *Scholasticorum inter sufficientiam & efficientiam* distinctionem ex lib. 3. Magistri sent. dist. 20. lit. C. dicentes, *Christum omnes quidem redemisse sufficiēter*, sed non *efficienter* h. e. ut explicant, *Christum potuisse quidem redimere omnes homines; sed non redemisse omnes actu, quia Deo patri ab æterno ita placuit. Quod igitur satisfactio vel redemptio apud omnes efficax non sit, id non fieri, quia passionem Christi non apprehendunt, cum pro iis facta non sit, sed quia per absolutum decretum à Deo rejecti & reprobati sunt.*

LII. R. 1. Quicquid sine autoritate scripturæ dicitur, id eadem facilitate, quâ asseritur, rejicitur. Hanc regulam allatæ & in sensu Calviniano acceptæ distinctioni non immeritò applicamus, quippè quæ in isto sensu nullum in sacris literis fundamentū habet

habet, sed eis potius è diametro adversatur: Sole enim illustrius apparet ex ijs, Christum non tantùm *potuisse*, sed revera etiam *voluisse* satisfacere, imò *actu ipso satisfecisse* pro totius mundi peccatis; ut in antecedentibus demonstratum est. 2. Est hæc distinctio sensu Calvinisticò in ipsum Deum atque meritū Christi *contumeliosa*: Quomodò enim meritum Christi omnibus sufficiens esse possit, cum Deus omnibus filium nō miserit, nec omnium misereri voluerit? 3. *Fundamentum* istius distinctionis, quod ex mente Calvinianorum est *absolutum decretum* de quibusdam hominibus sine ullô respectu fidei ad salutem æternam prædestinatis, & de quibusdam sine ullô respectu incredulitatis ad æternam damnationem reprobatis, cùm sacris literis non sit superstructum, *per se* collabascit. Ergo nec *ipsa* in hôc intellectu subsistere potest. Fundamentô enim non fideliter jactô, quicquid superstruxeris, corruet.

4. à complicibus ipsorum *Beza* & *aliis* tanquam Sophistica & inepta explo-ditur ac rejicitur; *Beza in Thes. Genev. fol.* 129. ita differit: *In illâ phrasi, Christus mortuus est pro omnibus hominibus sufficienter sed non efficienter, ἀκυρολογία esse videtur: Sive enim consilium Dei sive passionis effectum sive utrumq; spectaveris, pro impiis nullô modô est mortuus. It. parte 2. resp. p. 217. Distinctio illa inter τὸ sufficienter & efficienter mera est τergiversatio.*

LIII. 2. Instant, *eandem distinctionem etiam apud nos in usu esse, ideoq; non rejiciendam.* R. Solet quidem à nobis etiam usurpari, sed sensu *longè aliô*. Quod ut rectè percipiatur, utrumque explicabimus terminum *sufficientiæ & efficientiæ*. Quod *primum* attinet, sciamus *sufficientiam duplicem* esse 1. *potentialem vel possibilem*, quâ Christus dicitur potuisse quidem satisfacere pro omnium hominum peccatis, sed absolutô quodam Dei beneplacitô noluisse. 2. *Actualem*, quâ Christum juxta consilium Dei Patris actu redemisse omnes in universum homines, ijsq; vitam & salutem reparasse credimus; *Prior* arridet *Calvinianis, posterior nostram* explicat mentem. Quod *secundum* attinet, sciamus per *efficientiam* intelligi *applicationem meriti & collationem salutis acquisitæ*. *Calviniani* verò statuunt efficientiam vel applicationem meriti dependere ab *absolutô quôdam consiliô & decretô Dei*, sine ullô ad fidem respectu; nos applicationem *per fidem salvificam* fieri propugnamus; Eapropter, quod meritum Christi non omnibus applicetur, in *decretum Dei absolutum* culpam transferunt *Calviniani*, quo *alios* vitæ, *alios* damnationi æternæ absq; ulla conditione *vel* fidei *vel* incredulitatis adjudicant: *Nos* causam reprobationis & damnationis *incredulitati* hominum adscribimus.

LIV. 3. Sic argumentantur: *Si Christus omnes ac singulos homines morte suâ redemisset, omnes quoq; & singuli æternæ salutis forent participes, vel actu salvarentur; sed*

sed consequens est falsum, E. & antecedens. Resp. 1. causæ salutis nostræ sunt *quatuor* 1. *gratia Dei*, quâ πρώτως. 2. *meritum Christi*, quô ἱλαστικῶς 3. *verbum & sacramenta*, quibus ὀλικῶς. 4. *Fides*, quâ λητικῶς salvamur & justificamur; *posteriores duæ mediorum* rationem tenent in negociô justificationis nostri, & *prioribus duabus coniunguntur, non opponuntur*; Verbum cum sacramentis est medium, *ex parte Dei, offerens*; fides *ex parte nostrâ accipiens*: Sicut enim in muneris alicujus receptione requiritur & manus dantis, & acceptantis; ita etiam in spirituali justitiæ acceptione, utrumq; medium est necessarium, *oblatio Dei per verbum, & acceptio hominis per fidem.* Nam ad *actualem* nostri justificationem, omnes *quatuor* causæ concurrant necessum est: quarum unâ saltem deficiente negocium istud perfici non potest, quare quid in syllogismi *copulato* desiderandum, ex his facile est judicaru: Laborat enim *insufficientiâ causarum*, quam hunc in

in modum pensamus: *Si Christus omnes ac singulos homines morte suâ redemisset, mortemq; & redemptionem omnes ac singuli per fidem sibi applicarent, omnes quoq; & singuli salutis æternæ forent participes, actuq; salvarentur; sed multi, imò maxima pars hominum, fide destituuntur, ob contemptum verbi, ex quo illam concipiant; Ergo & salutis æternæ fiunt exortes.* 2. *Resp. per inficiationem copulati*: Distinguendum enim est *inter mortem & redemptionem ipsam, & inter ejus beneficia & fructus*: *Illa est universalis* omnium hominum; *hi* non nisi *credentium*; ab universalitate igitur *illius*, ad universalitatem *horum* fide participandorum, argumentari non licet.

LV. 4. *Christus pro electis, fratribus, filiis, ovibus, Ecclesiâ, sanctificatis, populo*, ut scriptura passim testatur, item *pro multis Esa. 53. v. 15. satisfecit E. non pro omnibus.* *Resp.* 1. *Ab inclusivâ ad exclusivam non valet consequentia*: Mortuus est quidem Christus pro istis,

sed

sed non *solùm*, quæ particula exclusiva, nusquam in sacris literis est addita. Nulla ergo inest huic argumento cōsequentia; perinde ac si ita argumentarer: *Vulpes & Asinus sunt animalia, E. non homines, nec bestiæ cæteræ*: vel ita: *Apostoli & Evangelistæ resurgent E. non cæteri homines.* 2. Vox, *multi*, accipitur bifariam 1. συμπληρωματικῶς *collectivè* 2. διαιρετικῶς, *segregativè vel distributivè*; In *priore* acceptione idem, quod vox, *omnes*, significat, ut probant numerò non exigua S.S. Scripturæ testimonia *Rom.* 5. v. 19 per unius inobedientiam *multi* sunt constituti peccatores &c. *Dan.* 12. v. 2. *Matth.* 20. v. 22. in *posteriori* pro *aliquibus* usurpatur, ut: *Matth.* 7. v. 13. *multi* ambulant in viâ, quæ ducit ad infernum: *multorum* corda obdurantur, ne credant. 3. Vox *multitudinis* opponitur *paucitati* electorum, ita ut sensus sit, Christus pro *multis* mortuus est, h. e. Christus etiam mortuus est *pro his, qui non sunt electi*; Ita & sumitur Matth. 20. v. 16. *Multi* sunt vocati, pauci

pauci verò electi. Quare, *multos* & *electos*, eadem significatione venire, contra Calvinianos negamus.

LVI. 5. *Quos Christus morte suâ redemit, pro iis etiam oravit: sed non pro omnibus oravit. E. propositio* manifesta est ex *tribus* sacerdotalis officij Christi partibus, thesi 13. explicatis. Quousq; verò *priores duæ* se extendunt partes, eousq; & *tertia* porrigitur. *Minorem* probat Christus ipse Joh. 17. v. 9. ubi dicit, *se non orare pro mundo.* Resp. 1. Distinguendum est inter orationem vel intercessionem *generalem* & *specialem*: *Illâ* ceu *Pontifex Universalis* pro toto genere humano, amicis & inimicis, prævaricatoribus *Esa.* 53. v. 12. & crucifixoribus suis *Luc.* 23. 4. 34. oravit: *Hâc* ceu *Propheta, Pastor, & Ecclesiastes* pro fidelibus & electis tantùm orat Joh. 17. v. 9. Incredulis autem & reluctantibus peccatoribus clave ligante peccata retineri voluit. De *hac*, non *illâ*, textus *Johannis* in *minore* est accipiendus. 2. Distinguendum est inter

inter *Christum Sacerdotem & Christum judicem. Christus Sacerdos* orat pro omnibus in universum hominibus, quemadmodum etiam pro gente inimica de altari suo oravit *Luc.* 23. v. 34. ut doceret se pro amicis pariter ac inimicis ibi pendere victimam in conspectu patris: At *Christus judex* pro electis tantùm orare se dicit, & non pro mundo *Joh.* 17. v. 9. Et hoc ipsò sententiam fert impijs, ne sibi in impietate suâ spem veniæ frustra pollicentur.

LVII. 6 Pro quibus Christus est mortuus, eorum causâ venit in hunc mundum, ut videant: Sed non omnium hominum causâ venit in hunc mundum, ut videant Joh. 9. v. 39. E. nec pro omnibus est mortuus. R. 1. Distinguendum est *inter voluntatem & intentionem Dei, & inter applicationem hominum: Dei enim & Christi voluntas ac intentio fuit*, ut per adventum Christi omniũ oculi aperirentur, & ad agnitionem veritatis Evangelicæ pervenirent: Cum verò maxima pars hominum per incredulitatem suam oculos claudant, nec Christi meritum sibi applicent, hinc fit, ut propriâ culpâ occæcentur, & dulcedinem evangelicarum promissionum non gustent. Hâc ergo distinctione adhibitâ, *minor* evadit falsa. 2. Distinguendum est inter *id, quod fit αἰτιολογικῶς causaliter, & inter id, quod fit ἐκβατικῶς eventualiter.* Christi adventus in hunc mundum, non fuit *causa* occæcationis multorum, sed *eventualiter* accidit, ut, qui ex persuasione propriæ sanctitatis salutare lumen illud non receperunt, sed putarunt se probè videre, justò Dei judiciò magis magisque occæcarentur. Venit itaq; Christus in hunc mundum, *eam potius ob causam, ut omnes viderent*, sed *eventualiter accidit, ut multorum oculi propriâ, non Christi, vel Dei, culpâ, cæcitate perstringantur, & à veritatis tramite abducantur.*

LIIX. *7. Pro quibus Christus est mortuus, iis etiam revelatur: sed non omnibus revelatur: Ergo non pro omnibus est mortuus.* R. Distinguendum est *inter revelationem ex parte Dei, & inter revelationem ex parte hominum: Dei enim & Christi voluntas ac intentio fuit*, ut per adventum Christi omniũ oculi aperirentur, & ad agnitionem veritatis Evangelicæ pervenirent: Cum verò maxima pars hominum per incredulitatem suam oculos claudant, nec Christi meritum sibi applicent, hinc fit, ut propriâ culpâ occæcentur, & dulcedinem evangelicarum promissionum non gustent. Hâc ergo distinctione adhibitâ, *minor* evadit falsa. 2. Distinguendum est inter *id, quod fit αἰτιολογικῶς causaliter, & inter id, quod fit ἐκβατικῶς eventualiter.* Christi adventus in hunc mundum, non fuit *causa* occæcationis multorum, sed *eventualiter* accidit, ut, qui ex persuasione propriæ sanctitatis salutare lumen illud non receperunt, sed putarunt se probè videre, justò Dei judiciò magis magisque occæcarentur. Venit itaq; Christus in hunc mundum, *eam potius ob causam, ut omnes viderent*, sed *eventualiter accidit, ut multorum oculi propriâ, non Christi, vel Dei, culpâ, cæcitate perstringantur, & à veritatis tramite abducantur.*

revelatur Matth. 11. v. 25. *E.* Resp. 1. *per inficiationem majoris*: Non enim necessariũ est, ut quod pro alterô suscipitur, statim ei manifestetur; si quis enim obæratus esset, alter verò pro ipsô, etiam insciô, creditori solutionem præstaret, non necessariò solutio illa facta debitori statim revelatur. 2. *Per distinctionem præstationis vel acquisitionis, & applicationis mortis Christi*: ad *hanc*, non ad *illam* necessaria est revelatio: Undè *major* ita erit limitanda; *pro quibus mors Christi non tantùm est præstita, verùm & per fidem applicata, iis necessariò revelatur*: Quod etiam similitudine adductâ, ulterius potest declarari: Si enim debitor præstitæ solutionis particeps fieri debet, necessum est, ut ei facta reveletur. 3. ad *minorem*, per distinctionem *revelationis nudæ, & salutaris vel cum fructu coniunctæ fidei apprehensæ*: De *hac*, non *illa* verba Christi Matth. 11. v. 25. sunt accipienda: *Abscondisti hæc à sapientibus & revelasti* sc. *salutariter parvulis, qui illam verè cordis fiduciâ apprehenderunt.*

LIX. 8. *Pro*

LIX. 8. *Pro quibus Christus est mortuus, eos etiam trahit ad se Joh.* 12. v. 32. *sed non omnes trahit ad se. E.* R. 1. opponuntur huic objectioni multa Sole illustriora SS. Scripturæ, de universali vocatione, quâ omnes ac singulos ad se trahit, testimonia. *Matth.* 11. v. 28. *Marc.* 16. v. 16. *Matth.* 28. v. 19. *Act.* 17. v. 30. 1. *Tim.* 2. v. 4. Quamvis autem nõ omnes vocationem & tractionem istam divinam sequantur; nihilominus tamẽ *ex intentione & voluntate Dei* manet universalis; Hinc nonnulli solent haut malè distinguere *inter vocationem Dei nudam, quæ universalis*; *Et salutarem fide apprehensam* Rom. 8. v. 30. *quæ propter contemptum hominum est particularis.* 2. Distinguendum est *inter trahentis voluntatem, intentionem vel affectum*; Et *inter tractionis illius applicationem & voluntatis Dei trahentis effectum in hominibus tractu.* Quamvis quidem Deus omnes ad se trahere *velit*, multi tamen ob impœnitentiam & incredulitatem trahi nolunt, nec Christus illos ad se actu

trahit: *Ex parte* itaq; *Dei* tractio illa est *universalis*, *ex parte* verò *hominum* redditur *particularis* 3. Distinguendum est *inter tractionem violentam, & ordinatam*; Neminem Christus trahit *violenter*. aliàs quis posset ipsius potentiæ tractivæ resistere? sed omnes trahit per *verbum vocationis*, tanquam *medium ordinarium*, quod cum multi respuant, & vocationem sequi detrectent, à Christo ob contemptum verbi actu non trahuntur.

LX. 9. *Pro quibus Christus est mortuus, illorum causâ venit in hunc mundum: Sed non omnium hominum causâ venit in hunc mundum Matth. 15. v. 24. non veni nisi propter deperditas oves domûs Israeliticæ. E.* Resp. ad *minorem* per distinctionem *officii Christi Prophetici, & Sacerdotalis*: *Illô* Christus fungitur, consilium Dei de redemptione generis humani in Evangelio promulgando *Ioh. 1. v. 10. Hôc* formam Dei inaniendo, & formam servi assumendo; legem implendo, ac pœnas legis sustinendo, & apud patrem

patrem cœlestem intercedendo. *Illud* potissimùm Judæos *Rom. 15. v. 18. Act. 13. v. 46. Hoc* universum mundum attinebat; De *illô* textus *Matth. 15. v. 24.* non de *hôc* est intelligendus.

LXI. 10. Obtendunt, dicta, quæ Christum etiam pro pessimorum peccatis satisfeciſſe asserunt 2. *Pet. 2. v. 1. Hebr. 10. v. 30. Heb. 6. v. 40.* non κατ' ἀλήθειαν, de ipsâ rei vel facti veritate, sed κατ' δόκησιν, putativè vel secundùm opinionem, non ex canone fidei, sed ex canone charitatis intelligenda & judicanda esse. Resp. Larvas & lemures tractant. Divus Petrus causidicum nostrum agit, & Calvinianorum inania teretismata refellit v. 18, 20, 21, 22. Describuntur ibidem impij & infideles, quos Christus morte suâ redemit, à *gemino* statu 1. *conversionis & renascentiæ*, quod ἀληθῶς verè, non δοξαστικῶς, putativè effugerint coinquinationes mundi, in cognitione Christi & viæ justitiæ. 2. *Aversionis* vel *Apostasiæ*, quod rursus

implicati & retrorsum aversi à sancto mandato, ad volutabrum redierint, resorbentes & facientes posteriora primis pejora. Par esto judicium de cœteris ad *Heb.* locis, quibus probè inspectis & consideratis verus & fidei analogiæ conformis exindè emerget sensus: Ea propter firmiter concludere possumus, Christum etiam mortuum esse pro his, qui à via salutis in viam æternæ damnationis se converterunt. *Nunc manum de tabula.* Cætera quæ desiderantur argumenta, eorumq; resolutiones, *partim* ipsa συζήτησις, *partim* assidua sacrarum literarum meditatio, lectioque Theologica abundè nobis suppeditabit.

DISPUTATIO XVII.

De JUSTIFICATIONE EVANGELICA HOMINIS PECCATORIS CORAM JUDICIO DEI.

Respondente PETRO ANUNDI Calmariensi.

THESIS I.

IN sacrô codice *geminus* definitur *Justificationis modus*; *alter* ex *lege*, quo de Apostolus, *Rom.* 2. v. 13. Factores legis justificabuntur, *Lev.* 18. v. 5. *Deut.* 28. v. 1. *& seqq. Ezech.* 20. v. 11. *Matth.* 19. v. 17. *Luc.* 10. v. 28. &c. *Alter* ex *Evangelio*, de quo Apostolus, *Rom.* 3. v. 24. justificamur gratis, ipsius gratiâ, per redemptionem factam in Christo. &c. *Rom.* 4. v. 5. c. 11. v. 6. *Gal.* 2. v. 16. *Eph.* 2. v. 8. 2. *Tim.* 1. v. 9.

II. Ille est *Conditionalis*, perfectissimæ obedientiæ, legi divinæ præstandæ,

dæ, conditionem includens, quam cum ob carnis nostræ imbecillitatem implere nequeamus, *Rom.* 8. v. 3. *Gal.* 3. v. 12. lex, etiamsi *per se* bona & sancta sit, *Rom.* 8. v. 12. 1. *Tim.* 1. v. 8. *per accidens* fit nobis litera occidens, 2. *Cor.* 3. v. 6. peccatum arguendo & maledictionem denunciando, *Rom.* 3. v. 20. *Gal.* 2. v. 16. unde non *simplex* quoquè & *absoluta*, sed *accidentalis* tantùm ἀιτηχανία seu ἀδυναμία justificandi, *ratione* scilicet *carnis nostræ*, per quam infirmatur, *Rom.* 8. v. 3. ipsi assignatur.

III. *Hic* est *gratuitus*, consistens in gratuitâ peccatorum remissione, atq; justitiæ Christi imputatione, *Rom.* 3. v. 24. 2. *Tim.* 1. v. 9. cujus διέξοδον Ductore, atq; Doctore Spiritu S. juxta partium definitionis seriem ex S. literis ἐν βραχεῖ perstringemus.

IV. Justificatio Evangelica est actio DEI, quâ homines peccatores pœnitentiam agentes & fide Christum amplectentes, sine ullâ precij nostri persolutione & meritô nostrô, gratis, solâ suâ gratiâ, per ministerium verbi & sacramentorum à peccatorum reatu, eorumq; æternis suppliciis absolvit, perq; fidem justitiam obedientiâ filii sui activâ & passivâ acquisitam verè illis imputat, utà peccati culpâ & pœnâ liberentur, seque ipsis meliores, justi, & hæredes vitæ æternæ fiant, & Deus reconcilietur, atq; justus & misericors declaretur.

V. Subministrat hæc definitio octo membra nobis consideranda (1) *Etymon verbi*, justificare. Accipitur id in hôc negociô, non ἐκτικῶς pro imbuere justitiâ positivâ seu inhærente, vel facere justum datis seu infusis novis qualitatibus; nec ἐνεργητικῶς, pro operari actiones justas sive justitiam; nec σημαντικῶς, pro declarare seu manifestare fidem justificantem per bona opera; sed in *forensi significatione*, παρητικῶς, & sic *tria* in eo comprehenduntur, quæ sunt

1. à peccati reatu absolvere, 3. Tribuere justificato laudem, testimonium & præmia, quæ justis debentur, ut ex his & similibus Spiritûs S. testimonijs firmissimè demonstratur, *Rom.* 3. v. 19. 20. 24. c. 5. v. 10. 16. 19. c. 8. v. 34. *Luc.* 18. v. 14. *Rom.* 4. v. 7, 8. *Matth.* 1. v. 21. *Act.* 4. v. 11. c. 15. v. 10. *Iohan.* 5. v. 24. *Eph.* 1. v. 6.

VI. (2) Ἄιτιον κύριον seu *causam efficientem justificationis principalem*, quæ est solus Deus, Pater, Filius & Spiritus S. qui pro suâ immensâ erga genus humanum φιλανθρωπία lapsos & in peccatis mortuos homines reparat, justificat & salvat, *Rom.* 3. v. 25. 26. 29. c. 8. v. 34. *Gal.* 3. v. 8. *Esa.* 43. v. 25. *Rom.* 4. v. 5. *Ose.* 13. v. 4. Ideò definitur justificatio per actionem Dei, nempe *ad extra*, SS. Trinitati communem.

VII. (3) *Causam* προηγουμένην, quæ est φιλανθρωπία seu gratia Dei, hoc est, paternus Divinæ misericordiæ favor & immensus amor Dei, quô ad miserationem nostri impellitur, *Rom.* 3. v. 24.

v. 24. c. 4. v. 10. c. 11. v. 6. *Tit.* 3. v. 4, 5, 7. *Eph.* 2. v. 8. 2. *Tim.* 1. v. 9.

VIII. (4) *Causam* προηγουμένην, seu meritoriam, quæ est solus Christus, qui iræ ac justitiæ Divinæ tum respectu *legis*, tum ratione *supplicij* ac *pœnæ*, nostris prævaricationibus debitæ, ad plenum satisfecit, & sufficientissimũ λύτρον interposuit & exolvit, *Matth.* 5. v. 17. *Rom.* 3. v. 24. 25. c. 4. v. 23. c. 5. v. 10. 19. 1. *Cor.* 1. v. 30. c. 15. v. 3. 2. *Cor.* 5. v. ult. *Coloss.* 2. v. 14. *Esa.* 53. v. 5. & 6. *Gal.* 3. v. 13.

IX. Constat hoc λύτρον Christi *geminâ* quasi materiâ 1. *Obedientiâ activâ*, quam legi perfectissimè pro nobis persolvit, tàm quoad perfectionem *graduum*, quàm *partium*. 2. *Obedientiâ passivâ*, quâ Patri pro nostris peccatis *commissionũ*, eorumq; pœnis ad mortem usq; crucis obediens factus est: *Illius* intuitu DEus Pater *justitiam* Filij nobis per fidem imputat: *Huius* virtute nobis omnium *peccatorum commissionũ remissio* obtingit: unde Christus Redem-

Redemptor, & mediator noster, justitia & sanctificatio nostra esse creditur, 1. *Cor.* 1. v. 30. 1. *Tim.* 2. v. 5. *Ier.* 23. v. 8. c. 33. v. 16. &c.

X. (5) Ὑποκείμενον seu *causam materialem*, quæ sunt homines peccatores, sensu peccatorum iræq; DEI contriti, & ad gratiam atq; misericordiam Dei fide confugientes. Quemadmodum enim omnem non credentem Deus damnat, *Marc.* 16. v. 16. *Ioh.* 3. v. 16, 17, 18. ita omnem tantùm credentem, qui satisfactionem & meritum Christi ἀναθεώπτω fide apprehendit, justificat, *Rom.* 1. v. 16. c. 3. v. 22. 25. 26. c. 4. v. 5. *Gal.* 3. v. 8.

XI. Quamvis autem *gratia DEI universaliter* omnibus hominibus offeratur, & *meritum* Christi pro justificandis omnibus hominibus sufficiat, non tamen justificatio est universalis, quæ lapsui generis humani respondeat, nec reverâ & *actu* omnes *justificantur*, non quidem defectu *meriti Christi*, aut *gratiæ Dei*, sed *vitio hominum*, qui

suâ incredulitate gratiam Dei à se repellunt, ac meritum Christi aspernantur.

XII. Sicut enim condemnatio, quæ *Reatu* pertinebat ad omnes homines, *actu* spectat ad solos impœnitentes, atq; incredulos; Sic *oblatio* gratiæ Dei, & meriti Christi *universalis* quidē est, *collatio* tamen *ejusdē* ad solos fideles restringitur, qui Christi per fidem apprehensi beneficiò à damnatione sunt immunes, quod suprà citata testimonia satis superq; declarant & demonstrant.

XIII. (6) *Causam formalem*, quæ *duabus* absolvitur *partibus*, quarum 1. est στερητικὴ, *privativa*, quâ Deus aufert id, quod nobis ineſt. 2. θετικὴ, *positiva*, quâ Deus donat nobis id, quod nobis non ineſt. Sicut enim *corruptionis*, quâ Homo peccator post lapsum laborat, *conditio* non unius generis, sed *gemina* est; *prior* θετικὴ, injustitiam & delictorum commissorum crimen continens; *altera* στερητικὴ,

privatione justitiæ, quâ nos excellere oportebat, constans; ita duplex ἀντιφάρμακον, seu remedium in Christo nobis paratum est, in quo ratio formalis justificationis nostræ consistit.

XIV. *Prius* illud, πρῶτον, vocatur ἄφεσις seu *remissio peccatorum* merè gratuita, quâ Deus omnium pecatorum reatum, & pœnam credentibus propter Christi satisfactionem non imputat, sed condonat, *Rom.* 3. v. 25. c. 4. v. 7. 8. c. 8. v. 34. *Act.* 26. v. 18. 2. *Cor.* 5. v. 19. *Psal.* 32. v. 1. 2. *Posterius* hoc, δεύτερον, appellatur λογισμὸς, imputatio justitiæ Christi, quâ Deus obedientiam & satisfactionem Christi, pœnæ solutione, & legis impletione præstitam, nobis per fidem imputat, *Rom.* 4. v. 5. 6. 22. 23. *Gal.* 3. v. 6. *Jer.* 23. v. 8. 1. *Cor.* 1. v. 30. *Illud priori* nostræ conditioni; *hoc posteriori* medetur, *Rom.* 3. v. 25. c. 5. v. 18, 19, 20.

XV. (7) *Causam organicam*, quæ in negotio justificationis *gemina* deprehenditur; *una* ὀλικὴ, *offerens respectu DEI justificantis*, quæ est ministerium verbi & Sacramentorum, in quibus gratia Dei & justitia Christi nobis offeruntur, *Rom.* 1. v. 16. c. 3. v. 21. c. 4. v. 11. *Esa.* 61. v. 1. *Tit.* 3. v. 5. 1. *Pet.* 3. v. 21. 1. *Cor.* 11. v. 25. *Matth.* 26. v. 27. 28. *Luc.* 22. v. 20. *Altera* ληπτικὴ, *apprehendens, respectu hominum justificandorum*, quæ est sola fides salvifica, quâ ceu manu spirituali gratia Dei & justitia Christi in Evangelio & Sacramentis oblata, apprehenditur, nobisq; applicatur, *Rom.* 3. v. 20. 28. 29. cap. 4. v. 5. *Gal.* 2. v. 16. *Eph.* 2. v. 8. *Rom.* 9. v. 30. *Gal.* 3. v. 8. *Act.* 10. v. 34. *Phil.* 3. v. 9. *Ioh.* 1. v. 12.

XVI. Cum in allegatis testimoniis dicitur (1.) *Fide* sive in *fide*, sive *per fidem*, sive *ex fide*, nos justificari, & *fidem* nos justificare, & *fidem* nobis ad justitiam imputari, id non πιστικῶς vel ἐκλικῶς, sed ὀργανικῶς & σχετικῶς est intelligendum; Siquidem fides justificat, non *quatenus* est habitus, seu qualitas menti inhærens, sed *quatenus* suum proprium objectum Christum mediato-

atorem & redemptorem, inq; eo gratiam Dei, & justitiam meritò Christi acquisitam apprehendit; unde quoq; non διὰ πίστιν *propter fidem*, sed διὰ πίστεως *per fidem* nos justificari S. Scriptura testatur.

XVII. (2) Cum dicimus *Solâ* fide nos justificari, particulam hanc exclusivam 1. non ἁπλῶς, sed κατὰ τὶ accipimus, nimirum, non quod fides sola sit, sed quòd sola in suo genere causarum ὀργανικῶς justificet; quemadmodum & *solâ Dei gratiâ* scil. in genere causarum προηγουμένων (exclusâ gratiâ infusâ vel habituali) & *solô meritô Christi* scil. in genere causarū προκαταρκτικῶν, (exclusis meritis operum nostrorum) justificari nos dicimus, 2. opponimus illam non cœteris justificationis causis, sed proprijs hominum operibus, non ne *sint* sed ne *insuſtificationis actu concurrant*, nec vim aut virtutē justificandi sive ὁλικὴν sive μερικὴν obtineant; Atq; sic exclusiva hæc est nota tum 1. *Fidei ἐνεργείας* seu *fun-*

dationis propriæ, tum 2. operum bonorum *exclusionis*.

XIIX. Et licèt hæc particula exclusiva κατὰ γραμμα sive ἀυτολεξεὶ in scripturâ non legatur, ratione tamen *Sententiæ* nititur divinarum literarum authoritate (1.) quia particulæ aliæ exclusivæ huic æquipollentes manifestè in ijsdem reperiuntur, quales sunt, *gratis, sine lege, sine operibus legis, non nisi per fidem, &c. Rom.* 3. *v.*24. c. 3. v. 28. c. 4. v. 6. *Gal.* 2. v. 16. 21. c. 3. v. 21. *Eph.* 2. v. 8. *Philip.* 3. v. 9. 2. *Tim.* 1. v. 9. *Tit.* 3. v. 5. (2) quia S. Scriptura propriam justitiam habitualem, merita & opera nostra ab actu justificationis excludit, ut antè citata testimonia demonstrant. Inde sic concludimus: Quicquid ita tribuitur fidei, ut merita & opera nostra ab eo excludantur, id *respectu operum & meritorum exclusorum* rectè dicitur *soli* fidei competere: Sed actus justificationis nostræ coram Deo ita fidei tribuitur, ut merita & opera

nostra ab eo excludantur, attestantibus S. literarum testimonijs suprà citatis. Ergo. (3) S. Scriptura aliud medium vel instrumentum non tradit, quô promissiones Evangelij apprehendere, nobisq; applicare possumus (4) quia particula ista non prorsus ἄγραφος est, siquidem Servator ipse istâ usus est, *Marc.* 5. v. 36. *Luc.* 8. v. 50. ubi tamen sedulò notandum venit, fidem quidem *justificam* hîc intelligi, veruntamen non *in actu justificationis*, sed *exercitiis bonorum operum* occupatam h.e. non *quatenus justificat*, sed *quatenus promissiones corporales apprehendit*. Non itaq; est, ut Adversarij ad illius usum tam vehementes ronchos ducant.

XIX. Fides hæc justificans *tribus* constat *gradibus*: *Primus* est γνῶσις, seu notitia promissionis Dei de beneficijs Christi mediatoris, 1. *Cor.* 2. v. 12. 16. *Gal.* 4. v. 9. *Eph.* 1. v. 18. 1. *Joh.* 1. v. 1, 2, 3. 1. *Joh.* 5. v. 19. *Coloss.* 1. v. 9. 11. 1. *Cor.* 1. v. 5. c. 8. v. 7. 2. *Pet.* 1. v. 3. 5. *Esa.* 35. v. 11.

v. 11. *Luc.* 1. v. 78. II. Κατάληψις seu assensus specialis, quô quis amplectitur promissionem Evangelij, *Joh.* 1. v. 5, 11, 12. c. 17. v. 8. *Rom.* 9. v. 30. 33. 1. *Joh.* 5. v. 13. *Nota*: cum horum graduum objectum *speciale* ponimus promissionem gratiæ, reliquum Dei verbum non excludimus, sed tanquam objectum fidei *generale* includimus. III. πληροφορία, fiducia plenissima & certissima, fixa in Dei misericordiâ & merito Christi, in ijsq; tanquam in *propriô* objectô suaviter acquiescens, *Rom.* 4. v. 21. c. 8. v. 38. *Heb.* 10. v. 22. c. 11. v. 6. 1. *Joh.* 5. v. 14.

XX. Ex antè dictis de *subjecto* fidei justificantis judicium rectissimè fieri potest, idq; nos tergeminum statuimus 1. κατηγορίας seu *denominationis*, quod est *homo* promissionis verbo cõfidens, *Marc.* 5. v. 36. *Luc.* 8. v. 50. *Joh.* 3. v. 16. 18. &c. 2. ὑπάρξεως, *inhæsionis*, quod est *anima rationalis*, & 3. τελειώσεως, *perfectionis*, quod est (1) *intellectus*, quem perficit fides ratione *notitiæ & assensûs*

(2) *voluntas*, quæ perfectionem suam accipit à *fiduciâ*, quod ipsum ex suprà citatis S. literarum testimoniis satis liquet.

XXI. (8.) *Causam finalem*, quæ est 1. respectu *hominum peccatorum*, ut ipsi liberentur à peccati culpâ & pœnâ, & se ipsis meliores, justi & hæredes vitæ æternæ evadant, *Rom.* 4. v. 6. 7. c. 5. v. 1. 19. 20. *Eph.* 1. v. 8. *Gal.* 2. v. 19. 20. 2. respectu *Dei*, ut Deus reconcilietur, justus atq; misericors declaretur, *Rom.* 3. v. 26. c. 8. v. 1.

XXII. Sic itaq; breviter causas justificationis ἑλικῶς explicavimus, in actu justificationis non sibi invicē oppositas, sed intimè conjunctas & subordinatas: Singulæ enim dicuntur *propriè* justificare, sed non *eôdem modô*: Justificat Deus πρώτως, *principaliter*; Christus ἰλαστικῶς, *meritoriè*; verbum & Sacramenta ὀπτικῶς *oblativè*; fides ληπτικῶς, *apprehensivè*; Remissio peccatorum & imputatio justitiæ Christi εἰσωδῶς, *formaliter*.

XXIII. Co-

XXIII. Colophonem his thesibus addemus, discrimine vocabulorum quorundam saltem breviter indicatô (1.) *Regenerationis*, *vivificationis & Sanctificationis*, quæ Adversarii confundere nequicquam conantur: Accipiuntur enim ista *aliàs* ἑλικῶς vel ὁλικῶς; *Regeneratio & vivificatio*, pro justificatione & renovatione simul, ut 1. Pet. 1. v. 23. 1. Joh. 3. v. 9. Joh. 3. v. 5. Eph. 2. v. 5. *Sanctificatio* pro actione Dei, quâ nos sanctificat *imputativâ & inchoativâ* sanctificatione, vel quod idem est, pro justificatione & renovatione, Joh. 17. v. 19. *aliàs* ὁδικῶς *vel* μερικῶς; *Regeneratio* pro solâ justificatione, Tit. 3. v. 5. *vivificatio & Sanctificatio* 1. pro solâ justificatione. Heb. 10. v. 10, 14. 2. pro solâ renovatione, Rom. 1. v. 4. 1. Pet. 1. v. 2. Rom. 8. v. 11. Psal. 118. v. 27.

XXIV. (2) *Justificationis & Renovationis*. Licèt enim hæ in eô conveniant, quod utræq; sint beneficium

Christi, morte & passione ejus acquisitum, & credentibus collatum: ut enim *inobedientia* Adæ non solùm nobis fuit imputata, sed etiam *corruptio* naturæ ejus in nos derivatur; Sic etiam non solùm *obedientia* Christi (inobedientiæ Adæ respondens) nobis imputatur, verùm & *Sanctitas & Renovatio* (corruptioni naturæ respondens) re ipsa communicatur, ut sic nõ tantùm imputativè, sed & inhæsivè justi & sancti simus, 2. *Cor.* 5. v. 17. 18. *Eph.* 2. v. 10. *Tit.* 2. v. 14. Veruntamen *renovatio* differt à *justificatione*, 1. *Ordine*, ut effectus à causâ; justificatio præcedit, renovatio sequitur; illa enim est hujus causa. 2. *Effectu*: per justificationem reddimur justi λογισμῷ, imputatione; per renovationem ἐνυπάρξει, inhæsione, & habitu justi fieri incipimus. 3. *Formâ*: Justificatio consistit in *Remissione* peccatorum, & *imputatione* justitiæ Christi actualis: Renovatio verò in *depulsione* errorum mentis, in *Correctione* voluntatis, & *repressione*

sione affectuum vitiosorum in corde; adeoq; *illa* est perfectissima & absolutissima, nec magis & minõ recipit; *hæc* autẽ imperfecta, & intensionẽ ac remissionẽ admittit. 4. *Adjunctâ duratione*: *justificatio* cessabit in alterâ vitâ, cũ fides sit ibi finem habitura; *Renovatio* autẽ perfectionem & complementũ ibi sortita in ævum durabit. Nunc receptui canimus, & θέσει nostræ orthodoxæ fastigium imponimus: Cætera, quæ ἀντιθέσιν concernunt, in ipso conflictu Tenediâ bipenni, opitulante Deo, decidentur.

COROLLARIA.

1. *An fidei & incredulitatis similis quoad justificationem & damnationem sit ratio?* Distinguendum inter *rem* & *modum rei*: Similis est contrariorum horum ratio *quoad rem* & *effectus immediatos*: Habent enim ex æquò contrarios effectus, quia ut incredulitas damnat, ita fides justificat: Diversa autem est *quoad modum rei* & *rationem causandi*: modus enim illos effectus producen-

ducendi non est par ubiq; ; quia contraria ista non sunt paria ; Fides enim *quà iustificat*, non est opus ; infidelitas, quæ damnat, est opus, & quidem perfectè malum, quò Christi meritum contemnitur: Hinc incredulitas damnat *efficienter & meritoriè*; Sed fides justificat tantùm *organicè*, quia medium est justitiam Christi apprehendens.

II. *An in istâ oppositione (iustificamur non per legem, non ex operibus, sed per fidem, ex fide) propositiones ista (per, ex) côdem sensu accipiantur?* Disting. inter *rationem causandi communem & specialem*: Semper quidem *aliquam iustificationis causam* denotant, sed non semper *eundem causandi modum*: Ratione enim *aliâ* legi & operibus adimitur, rursusq; *aliâ* fidei tribuitur vis justificandi: Hinc quando particulæ istæ apponuntur *legi & operibus*, designant causam *meritoriam* falsam, quam negant: quando verò *fidei* tribuuntur, exponunt causam justificationis

nis *organicam*, quam ponunt: Sic quando *gratiæ* Dei & *sanguini Christi* adjunguntur, causam προηγουμένην & προκατηρκτικὴν denotant. Si quis igitur ex harum particularum usu argumentari velit pro fidei merito: *Propositiones, per, ex, in negatione (non per legem, non ex operibus iustificamur) tollunt causam meritoriam falsam; Ergo in affirmatione (per fidem, ex fide iustificamur) semper ponunt causam meritoriam.* Negamus conseq; quia causæ meritoriæ falsæ, nimirum operibus legis, omnes reliquæ causæ, *tum* προηγουμένη, Dei gratia; *tum* meritoria, Christi satisfactio; *tum* instrumentalis offerens, verbum & Sacramenta, *tum* instrumentalis apprehendens, fides, oponuntur: quæcunq; enim harum causarum ponitur, excludit meritum operum.

III. *An fides in alterâ vitâ cessatura sit?* Dist. cessatura est 1. *Ratione cognitionis ænigmatica, qua fit quasi in speculo*, cui succedet manifesta & perfecta visio 2. *ratione*

apprehensionũ Evangelicæ promissionũ de peccatorum remissione; Non autem abolebitur, sed potius perficietur, *quatenus nimirum est lux notitiæ in intellectu & fiducia misericordiæ divinæ in voluntate.* Ex remotione enim actûs, ipsius habitûs remotio non rectè infertur.

IV. *An iustificati dici possint peccatores?* Disting. Respectu *peccati in carne adhuc hærentis*, rectè vocantur peccatores. Respectu verò *justitiæ imputatæ & inchoatæ* justi appellantur, *Psal.* 32. v. 2. 1. *Ioh.* 1. v. 8.

V. *An Hercules, Socrates, Aristides, Camillus, Numa, & alij* Ethnici *heroicũ factũ & virtutibus præclari in vitâ æternâ sint collocandi?* Affirmant delirantes Zvvinglio-Calvinisequæ contra expressam Spiritûs S. negationem. *Ioh.* 3. v. 18. *Marc.* 16. v. 15. *Act.* 10. v. 43. *Rom.* 10. v. 13. 18. c. 14. v. 23. *Heb.* 11. v. 6. Si assumptionem horum testimoniorũ negent, fidem *naturalem* faciunt, sicq; Apostolo Paulo in os contradicunt. *Rom.* 10. v. 18. Nos igitur contrarium cum

cum S. Scripturâ asserentes locum ab Hercule, Aristide, & alijs Ethnicis jam occupatum libenter ipsis concedimus.

DISPUTATIO XVIII.

De ÆTERNA HOMINUM IN FIDE JUSTIFICANTE AD FINEM USQVE VITÆ PERSEVERANTIUM PRÆDESTINATIONE, atq; in finali incredulitate persistentium reprobatione.

Respondente BENEDICTO BENEDICTI BRUSÆO, Smol. S.

THESIS I.

TRia dantur in S. literis *rationes obiectorum* distincta sententiarum genera, quibus Deus Ter Opt. Max. voluntatem suam *evangelicam* de salute generis humani lucidissimè nobis patefecit: *Primi generis sententia* amplitudine

dine suâ complectuntur omnes in universum homines; qualis extat 1. *Tim.* 2. v. 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ubi diligenter notandum venit, sententias hujus generis loqui de voluntate Dei antecedente, *& quidem conditionatâ, & ad media salutis determinatâ.* Confer *Actor.* 4. v. 12. 1. *Cor.* 1. v. 30. *Esa.* 53. v. 6. *Joh.* 1. v. 29. 1. *Joh.* 2. v. 2. 1. *Cor.* 15. v. 21. 2. *Cor.* 5. v. 15. *Rom.* 10. v. 9. *Act.* 10. v. 43. *Ioh.* 3. v. 16. *Marc.* 16. v. 16. *Rom.* 3. v. 28. c. 4. v. 5. *Gal.* 2. v. 16. *Ephes.* 2. v. 8. *&c.*

II. *Secundi generis sententiæ* minoris sunt amplitudinis, & ad *solos* in Christum credentes, & quidem *promiscuè omnes* respiciunt; qualis est illa Christi *Ioh.* 6. v. 40. *Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam.* Confer *Joh.* 3. v. 11. *Marc.* 16. v. 16. Ubi iterum studiosè observandum est, in hôc genere sententiarum intellici voluntatem Dei *consequentem, conditione*

conditione perseverantiæ in fide finalis determinatam Matth. 10. v. 22. *Apoc.* 2. v. 20.

III. *Tertii generis sententiæ*, multò prioribus sunt restrictiores, ac solos electos, in fide justificante ad finem usq; vitæ perseverantes attinent, qualis extat *Matth.* 10. v. 22. c. 24. v. 13. *Qui perseveraverit ad finem usq; vitæ, salvus erit*: Confer *Matth.* 13. v. 13. *Heb.* 3. v. 6. *& 14.*

IV. *Postremò* hôc sententiarum genere protulit Deus in lucem æternum electionis decretum: Hoc enim inclusa tenet, quæ soli decreto electionis conveniunt: nam 1. determinat *proprium* Electionis objectum, quod sunt soli homines in fide justificante usq; ad finem vitæ perseverantes. 2. Fidem & perseverantiam in eâ *finalem* attribuit illis, non *modò prædicationis conditionato, & prout ad salutem nostram à Deo sunt ordinatæ, omnibusq; hominibus offeruntur; Sed categoricô, prout ab hominibus per Spiritûs S. efficaciam in cordibus ipsorum operantis acceptantur.*

V. *Hoc*

V. *Hoc* ergo *decretum* ut plenius, quantum quidem in hac vitâ ob intellectûs nostri imbecillitatem fieri potest, à nobis cognoscatur, brevem de illo ex S. literis, divinâ favente gratiâ, tractationem adornaturi sumus.

VI. Constat autem nobis hoc decretum, non ex *libro naturæ*, *nec creaturæ*, hoc est, non *notitiâ naturali*, *nec ἐμφύτῳ nec ἔκτητῳ*, sed ex *sola revelatione vel notitiâ θεοσδότῳ*, eâq; non *legis*, sed *Evangelii*. Spectat enim ad mysterium illud, quod *χρόνοις αἰωνίοις* fuit absconditum, in V. quidem T. *διὰ γραφῶν προφητικῶν*; In N. autem per Christum & Apostolos *multò illustriore & clariore modò* patefactum *Rom.* 16. v. 26. *Ephes.* 3. v. 9. *Col.* 1. v. 26. *Hebr.* 1. v. 1. *Tit.* 1. v. 2. 2. *Tim.* 1. v. 10 *Ioh.* 11. v. 8.

VII. Cum ergo Deus hoc mysterium nobis in S. literis revelarit, nostrum erit illud *ἐρευνᾶν Ioh.* 3. v. 39. h. e. scrutari & altiore mentis indagine inquirere: In hunc enim finem id in-

lucem est productum & manifestatũ, ut illud sedulò investigemus. Sicuti enim ea, quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda, ita, quæ manifesta fecit, non sunt negligenda, ne in illis illicitè curiosi, in his damnabiliter inveniamur ingrati. *Amb.* 1. *de vocat. gent.* c. 7.

IIX. Sed quæritur, an etiam hoc revelatum mysterium prædestinationis *à priori* cognosci queat. Ad hanc quæstionem *distinctè* respondemus 1. Electio seu prædestinatio consideratur *vel ἀφαιρετικῶς*, *in abstracto*, quatenus est actio Dei, ut in subseqq. definitur; *vel προσθετικῶς*, (ut ita loquamur) *in concreto*, quod *Electi* vel *Prædestinati* nomine effertur: Hoc *posteriori* modò sumitur iternm *vel* universaliter, de electis in genere; *vel* singulariter sive in individuo, de electo *hôc* vel *illô*, *Petro*, vel *Iohanne*.

IX. De Electione *in abstracto*, quin & de *Electis in genere* non dubitamus asserere, cognitionem utriusq; dari, non

non tantùm à *posteriori* per effecta & consequentem executionem, sed etiam à *priori* per causas & antecedentia (intellige hic prioritatem ordinis, non temporis) decreta, *in lib. concordiæ explicata.*

X. De Electis *singulariter*, vel in *individuo* spectatis quæstiones *distincte* moveri possunt. 1. *An hic vel ille, sit ad vitam æternam prædestinatus?* 2. *Cur sit prædestinatus?* De *illâ* non nisi à *posteriori* judicare possumus: quando enim quis in fide usq; ad finem vitæ perstitit, de eo verè pronunciare possumus, quod ad vitam æternam fuerit electus: De *hac* à *priore* quoq; judicium fieri posse, neminem fore arbitror, qui id negatum iverit: quandoquidem ex S. literis causæ electionis, & *consequenter* Electorum *cùm* in genere, *tum* in individuo sunt nobis sat cognitæ.

XI. His præcognitis ad *definitionem ejus* ex S. literis exstructam progredimur, quæ talis esto: *Prædestinatio vel*

tio vel Electio est decretum divinum, juxta quod (Ephes. 1. v. 9. 11. Rom. 8. v. 29. c. 9. v. 11.) *Deus* Eph. 1. v. 11. 2. Thess. 2. v. 13. Act. 13. v. 48. *non propter opera prævisa* (Rom. 9. v. 11. c. 11. v. 5. 6.) *sed ex merâ gratiâ & misericordiâ* (Rom. 9. v. 11. c. 11. v. 5. 6. Ephes. 1. v. 9. 2. Timoth. 1. v. 9. 10. Joh. 3. v. 16.) *in Christo* (Ephes. 1. v. 4. 5. 10. 2. Timoth. 1. v. 9.) *homines* (2. Thess. 2. v. 13. 1. Pet. 1. v. 2. 5.) *virtute Spiritûs S. per Evangelij prædicationem* (2. Thess. 2. v. 13. 14. 1. Pet. 1. v. 2. 2. Tim. 1. v. 9. 10. Ephes. 1. v. 9. Joh. 17. v. 20.) *perseveranter in Christum credituros* (Matth. 10. v. 22. c. 24. v. 13. Marc. 13. v. 13. Apoc. 2. v. 10.) *juxta* πρόγνωσιν (Rom. 8. v. 29. 1. Pet. 1. v. 2.) *ante jacta mundi fundamenta* (Ephes. 1. v. 4. 2. Thess. 2. v. 13. 2. Tim. 1. v. 9. *ad vitam æternam ordinavit.* (Ephes. 1. v. 4. Act. 13. v. 48. Rom. 9. v. 11. Rom. 8. v. 29. 2. Thess. 2. v. 13. 1. Pet. 1. v. 2 5.) *in laudem gloriosæ gratiæ suæ & sanctificationem nostri.* Ephes. 1. v. 4. 6. 12. 14.

XII. Mysterium hoc *duplici* insigni-

tur nomine: 1. vocatur *Prædestinatio.* Rom. 8. v. 30. Ephes. 1. v. 5. &c. Græcè προορισμὸς ἀπὸ τοῦ προορίζειν, quod significat ad certum finem ordinare, ita ut simul media ad illum finem ducentia determinentur: Complectitur ergo hoc verbum in se duo (1) finis ordinationem (2) mediorum determinationem.

XIII. Usurpatur autem hoc in S. literis (1) *de rebus* ut 1. Cor. 2. v. 7. Act. 4. v. 28. (2) *de personis*, & designat cumprimis electionem τῶν μελλόντων εἰς χριστὸν πιστεύειν, vide suprà c. 1.

XIV. 2. Vocatur *Electio*, Hebraicè, מִבְחָר à radice בָּחַר, Græcè ἐκλογὴ, ἀπὸ τοῦ ἐκλέγεσθαι; quæ verba similiter accommodantur (1.) *rebus*, & significāt rem aliquam approbare, diligere, cæterisq; præferre, vel etiam ad usum nobiliorem destinare, vide *Esa.* 58. v. 6. *Gen.* 13. v. 11. *Deut.* 12. v. 11. (2) *Personis*, & sic usurpantur *vel de Christo Esa.* 43. v. 10. *vel de angelis* 1. Tim. 5. v. 21. *vel de hominibus*; quô pactô adaptantur,

tur (1) *toti cœtui Ecclesiastico*, quem ex omnibus hominibus sibi Deus per verbum colligit, & in populum peculiarem eligit Deut. 4. v. 37. c. 7. v. 6. (2) *certis quibusdam personis destinatis vel* ad publica munia obeunda, sive Ecclesiastica, sive politica *Exod.* 18. v. 5. *Deut.* 18. v. 5. 1. *Sam.* 10. v. 24. *Luc.* 6. v. 13. *Act.* 1. v. 24. *vel* ad vitam æternam per fidem in Christum consequendam *Ephes.* 1. v. 4. in quâ significatione vox *Electionis* per metonymiam pro ipsis personis ad vitam æternam electis accipitur *Rom.* 11. v. 7. *Electio* (h. e. *Electi*) *consecuta est.*

XV. Varia isthæc *vocis hujus* significatio & accommodatio *tria* nobis suppeditat πορίσματα 1. Vocem *Eligendi* semper in *bonam* partem usurpari, nunquam in *malam*. 2. Separationem quandam *vel* personæ alicujus ab aliâ personâ, *vel* rei alicujus ab alia re in significatione suâ includere. Confer loca *Num.* 16. v. 9. 1. *Paral.* 15. v. 2. *Deut.* 7. v. 6. 3. Prædestinationem &

Electionem in hoc salutis nostræ negotio *æquipollenter* in S. Scriptura usurpari, longè remotô omni *reali* discrimine: De illo enim, quod est *rationis*, dicam nemini scribimus.

XVI. Electioni vel prædestinationi *synonymon est inscriptio in librum vitæ*; quæ juxta stylum scripturæ nihil aliud est, quàm electio perseveranter in Christum credentium ad vitam æternam. Quod autê S. Scriptura Deo librũ assignet, id nos oportet intelligere *improprie* per quandã ἀνθρωποπάθειαν, sumptâ translatione à Regibus & principibus, Jura, Privilegia, & reditus suos, vel etiam personas ad officium aliquod destinatas, in libro quodam consignantibus, ne fortè alicujus rei oblivio ipsos capiat. Ita S. Scriptura, quando æternam, infallibilemq; Dei notitiam & providentiam omnium rerum vult exprimere, ad humani ingenij infirmitatem συγκαταβαίνουσα librum ipsi attribuit.

XVII. Est ergo *liber hic vitæ* nihil aliud

aliud, quàm Dei notitia, quâ specialiter novit & curat electos. *Scriptio* verò in hunc librum designat infallibilem certitudinem illius dilectionis divinæ, imo ipsum electionis decretum de hôc vel illô factum, *confer infrà th.* 24. *& suprà th.* 15.

XIIX. Cum autem notitia & providentia divina, pro diversitate objectorum *diversimodè* sese habeant, hinc adeô fit, ut non *unus*, sed *plures* libri Deo in S. literis assignentur, & non incommodè juxta notitiam & providentiam Dei *generalem* & *specialẽ*, in *tres* quasi species distribuantur, quarum *priores duæ* ad notitiam & providentiam Dei *generalẽ*; *tertia* verò & postrema ad *specialem* referri potest ac debet.

XIX. Et *primus* quidem liber nominari potest liber *universalis* διοικήσεως, vel *gubernationis*, qui nihil aliud est, quàm præsentissima omniũ rerum creatarum notitia, cum omnipotenti earum conservatione atq; guberna-

tione conjuncta; de quo libro intelligenda sunt, quæ extant in *Apoc. c. 5. v. 1.*

XX. *Secundus* priori quasi subordinatus, vocari potest liber *universalis* κρίματος h. e. Judicij, quo Deus consignata & perspecta habet singula atq; universa hominum facta, tàm mala, quàm bona, ut secundùm sua quisq; opera judicetur: quo de libro Propheta *Dan. c. 7. v. 10.* Et *Joh. in Apoc. c. 20. v. 12.*

XXI. *Tertius* & ultimus appellatur *liber* ζωῆς, *vitæ aut viventium Ps. 69. v. 29. Phil. 4. v. 3. Apoc. 3. v. 5. c. 17. v. 8. c. 20. v. 12. 15. c. 22. v. 19.* Aliquando *absolutè* & quasi κατ' ἐξοχὴν nuncupatur liber *ille Dan. 12. v. 1.* liber *tuus*, sc. Dei, *Exod. 32. v. 32.* Aliquando verò *duplicem* προσδιορισμὸν habet annexum, vide *Apoc. 13. v. 8. c. 21. v. ult.* Et sicut *in genere* liber Deo tributus notat ejus scientiam & providentiam, sic *in specie* liber vitæ nihil est aliud, quàm singularis salvandorum cognitio.

tio. 2. *Tim. 2. v. 19.* quos Deus ex gratiâ propter meritum Christi perseverante fide apprehensum & ab æternô prævisum, ante jacta mundi fundamenta ad vitam æternam elegit in laudem gloriosæ gratiæ suæ.

XXII. *Nota* (1) *codicem biblicum Eccl. 24. v. 32.* in participationem quoq; hujus nominis venire, eô quod verba vitæ contineat, & viam vitæ æternæ demonstret; sed *distinctionis* ergo solent eum appellare librum vitæ *materialem*. Verùm cũ liber iste sit Apocryphus, & verba hæc in græco textu non inveniantur, nos ea missa facimus.

XXIII. (2) Appellationem hanc à nonnullis quoq; assignari Christo, vitæ autori, sed ἀλληγορικῶς & *certô quôdã respectu*, quatenus nimirũ in ipso facta est electio ad vitam æternam, & omnes atq; singuli perseveranter credentes ipsi ceu palmites viti inseruntur & implantantur *Gal. 3. v. 27. Joh. 15. v. 4.* quæ ut rectè asseruntur, ita etiam à nobis acceptantur. Verùm

præcisè & formaliter per librum vitæ nō niſi notitia Dei ſpecialis cum providentia ſpeciali conjuncta, & ad ſolos in fide perſeverantes reſtricta in S. literis absq; dubio intelligitur.

XXIV. Ex his elucet aſſertionis noſtræ veritas de ſcriptione in librum vitæ, quod *ſtylō ſcripturæ* nihil, *quoad rem*, ſit aliud, quàm ipſa prædeſtinatio vel Electio perſeveranter in Chriſtum credentium ad vitam æternam: Dixi, *quoad rem*; Sunt enim nonnulli, qui *rationis diſcrimen* hîc fabricant, ita ut Electio ſit *prior ordine*, ſcriptio in librum vitæ *poſterior*: Sed cum Deus unicō actu iſthæc perficiat, & credentes *eligendo* ſcribat, *ſcribendoq;* eligat, propterea diſcrimen illud ſuo loco relinquimus, quippe quod radicatur magis in ordine actionum *humanarum*, quàm *divinarum*: Non tamen ſuper hôc cum quoquam litigabimus. Tantum de *definito*: Nunc ad ἐξήγησιν *definitionis* nos conferimus.

XXV. *Primō* definitur per *decretum*

Epheſ. 1. v. 5. 11. *Rom.* 8. v. 29. c. 9. v. 11. 2. *Tim.* 1. v. 9. Prædeſtinatio enim eſt pars divinæ providentiæ, & peculiaris quædam illius actio circa homines ſalvandos: Includit autem providentia divina tria. 1. προγνωσιν, rerum omnium atq; ſingularum præſcientiam. 2. πρόθεσιν vel πρόθεσιν ætternum Dei propoſitum & decretum. 3. διοίκησιν decreti illius executionem, vel actualem rerum decretarum effectionem. πρόθεσις illa æterna exactiſſimè reſpondet actuali rerum in tempore διοικήσει: *Quicquid* enim & *quomodō* Deus *in tempore* agit, *illud* etiam *eōq; modō ab æterno* agere decrevit. Cum autem providentia divina maximè ſit occupata circa ſalutem hominum, nō minùs in actu ſalvationis, quàm in aliis *hæc tria* conſpiciuntur: Nam 1. de προγνώσει teſtatur *Apoſtolus Paulus* 2. *Tim.* 2. v. 19. Solidum, *inquiens*, fundamentum ſtat, habens ſignaculū hoc: *Novit* Deus, qui ſint ſui. 2. De προθέσει ad *Epheſ.* 1. v. 5. ſic docet. Qui prædeſtinavit nos

in filios per se J. C. in sese juxta *beneplacitum* voluntatis suæ &c. v. 11. prædestinati sumus secundùm *propositum* ipsius, omnia operantis juxta *decretum* voluntatis suæ. 3. De διοικήσει hujus decreti, quæ consistit in glorificatione Electorum, sic Apostolus disserit *Rom.* 8. v. 30. Quos præscivit, eosdem prædestinavit, quos prædestinavit, eosdem & vocavit, quos vocavit, eosdem & justificavit, quos verò justificavit, hos & *glorificavit*.

XXVI. Ex his pro sententiâ nostrâ stabiliendâ facimus conclusionem ejusmodi: Prædestinatio *aut* est πρόγνωσις *aut* πρόθεσις vel προορισμὸς, *aut* διοίκησις: Sed [1.] non est πρόγνωσις. Hæc enim *vel* notat *in genere* universalem & simplicem omnium rerum notitiam Job. 10. v. 4. *Vel in specie* notitiam ad ordinem electionis restrictâ *Rom.* 8. v. 30. *Priori* modò quin à prædestinatione differat, neminem dubitare autumo: *Posteriori* quoquè modò ab ea discriminatur *ratione ordinis, tanquam antecedens à consequente*. Nec (2) est specialis *illa, de qua suprà*, διοικήσεως; Ista enim consistit in actuali electorũ in vitam æternã introductione ac glorificatione quæ est decreti electionis executio. Rom. 8. v. 30. Relinquitur ergò (3) quod sit πρόθεσις vel προορισμός: Hi enim termini sunt, *quod rem ipsam*, æquipollentes.

XXVII. Sunt quidem nonnulli, qui discrimen aliquod faciunt inter *voluntatem, propositum & decretum* Dei, quale est inter *latum & angustius*; vel inter *generale & speciale, antecedens & consequens*, ita ut *prior* terminus sit generalior *posteriori*, & voluntas antecedat propositum, & hoc antecedat decretum: Hæc enim ordine se invicem ita sequuntur: *Deus aliquid vult, volitum proponit, propositum decernit*. Sed hoc discrimen est tantùm *rationis*, & potius in hominibus, quàm in Deo locum habet. Deus enim vult aliquid proponendo, & proponit id decernendo; & *vice versâ*; Deus decernit ali-

aliquid proponendo, & proponit id volendo.

XXIIX. Præterea sententiam hanc roborat quoq; Apostolicâ sua autoritate D. Paulus *Rom.* 8. v. 29. Ubi decretum electionis expresse vocat προθεσμόν.

XXIX. Antecedunt autem hoc decretum electionis (intellige, *prioritate ordinis*, non *temporis*) alia nonnulla, quibus *substernitur & determinatur*: Ordo illorum contra autores *absoluti* decreti probè est observandus, & ex c. 3. Gen. & Rom. 8. v. 29. à *posteriori* talis colligitur. 1. Est decretum creationis hominum. 2. Decretum præsciti lapsûs permissionis. 3. Decretum universalis per Christum restaurationis. 4. Decretum universalis vocationis. 5. Decretum conversionis. 6. Justificationis. 7. Sanctificationis vel renovationis. 8. Conservationis & confirmationis. 9. Æternæ glorificationis. Hîc observationem meretur hoc *axioma*: *Quô ordine & modô*

modô Deus ab æterno decrevit nos salvare, eôdem salvat in tempore: & viciſsim.

XXX. *Secundô*: Electio facta est *juxta* vel *secundùm* illud propositum seu decretum æternum, vide *loca suprà citata*; ubi particula *juxta* vel *secundùm formalem causam & rationem* electionis vel ordinationis & constitutionis illius æternæ designat: Consistit enim in προθεσμῷ, vel decretô hôc *specialiter* acceptô & ad salvandos perseveranter in Christum credentes restrictô *formalis ratio electionis*, sicut *glorificationis* ratio formalis ponitur in διοικήσει Dei, quâ credentibus in Christum ad finem usquè vitæ confert actu salutem æternam; Hinc ut rectè dicimus: DEUS juxta διοίκησιν *specialem*, quâ perseveranter in Christum credentibus actu confert salutem æternam, *formaliter* glorificat & salvat eos: ita rectè quoquè dictum statuimus, quod Deus *secundùm* propositum vel decretum suum æternum *formaliter* elegerit vel ordina-

dinaverit & constituerit in fide ad finem usq; perseverantes salvare.

XXXI. *Tertiò*: Causa efficiens πρώτη vel *principalis* electionis est Deus, Pater, Filius & Spiritus S. *Eph.* 1. v. 11. 1. *Thess.* 2. v. 13. *Act.* 13. v. 48. Ubi notandum, Filium Dei in electione *dupliciter* considerari 1. Ratione *essentiæ*, quatenus est unus & verus Deus cum Patre & Spiritu S. & sic unà indivisà actione cum Patre suo & Spiritu S. nos elegit ad vitam æternam, *Ioh.* 13. v. 18. c. 15. v. 16. Ubi non tantùm de electione *ad Apostolatum* loquitur Christus, sed includit etiam electionem *ad vitam æternam*. 2. Ratione *officii*, quod in se suscepit, & perfecit ut Θεάνθρωπος, quatenus est constitutus Redemptor generis humani, & Mediator inter Deum & homines; & sic *propter* eum electi sumus ad vitam æternam; unde non solum *à Christo*, sed etiam in Christo h. e. *per* & *propter* Christum, dicuntur electi ante jacta mundi fundamenta. *Eph.* 1. v. 4. 5.

XXXII.

XXXII. *Quartò*: causa προηγουμένη vel *interna* electionis *impulsiva* est misericors Dei voluntas *Rom.* 9. v. 11. c. 1. v. 5. 6. *Ephes.* 1. v. 6. 2. *Tim.* 1. v. 9. 10. *Ioh.* 3. v. 16. *Rom.* 11. v. 32. Intelligimus autem per misericordem Dei voluntatem gratuitum verèq; paternum misericordiæ favorem, & immensum amorem Dei, quò ille, nullò prorsus nostrò motus meritò, ad miserationem nostri fuit impulsus, & propter unicum meritum sive obedientiam filij fide apprehensam credentes in gratiam recipere, peccata condonare, justificare, ac æternùm salvare constituit. Ex quibus *tria* colliguntur porismata: 1. Gratiã Dei erga nos fundatam esse in merito Christi: 2. Ratione *oblationis* esse universalem, quæ sese extendit ad totum genus humanum; ratione *applicationis* verò & *acceptationis* fieri particularẽ. 3. Excludere ab actu electionis hominum virtutes & bona opera prævisa, quibus omnem vim merendi detrahit. *Rom.* 9. v. 11. c. 11. v. 5. 6.

XXXIII. Por-

XXXIII. Porrò voluntas divina *distinguitur* in προηγουμένην, vel *antecedentem*, & ἐπομένην vel *consequentem*, non quidem ratione *essentiæ*, *absolutè & in se* consideratæ; Sic enim una tantùm est, & simplex, nullôq; modô dividua: sed ob *triplicem respectum*. Appellatur enim *antecedens* 1. respectu *consequentis*, quâ prior est *ordine*, non *tempore*: Utraque enim ab omni æternitate fuit in Deo immutabiliter. 2. Respectu *omnium aliarum causarum*, quas modis omnibus antevertit, & in solo Deo spectatur, certum salutis ordinem constituente. 3. Respectu *hominum obedientiæ vel inobedientiæ*, cujus considerationem simpliciter antecedit. In *antecedente* enim voluntate finis h. e. salus, & media salutis considerantur, *quatenus* à Deo sunt ordinata & constituta; omnibusq; hominibus ex æquo offeruntur: *Consequens* autem considerationem obedientiæ hominum subsequitur, & attendit finem & media salutis, *quatenus* hæc jam actu ab homi-

hominibus vel acceptantur vel negliguntur, & sic vel actu salutem mediante fide consequuntur, vel actu propter incredulitatem æternæ damnationi adjudicantur.

XXXIV. *Fundamentum* hujus distinctionis S. Scriptura nobis ostendit multis in locis: De voluntate *antecedente* lege *Prophetam Ezech.* c. 18. v. 23. c. 33. v. 11. *Ap. Stolum Paulum Rom.* 11. v. 32. 1. Tim. 2. v. 4. Petrum 2. Epist. 3. v. 6. De Voluntate *consequente* vide *Joh.* 6. v. 40. *Matth.* 10. v. 22. 1. *Cor.* 1. v. 21. *Marc.* 16. v. 16. &c.

XXXV. Ex quibus fluunt *hæc porismata* (1.) voluntatem Dei *antecedentem* ambitu suô comprehendere universos homines *sine discrimine & ullius individui exceptione*: Voluntatem autem *consequentem* discriminare *inter credentes & non-credentes*; item *inter perseverantes in fide*, & μεταπίπτας His decernit supplicium æternum; illis vitam & salutem æternam.

XXXVI. (2) Utramq; voluntatem

τάξει mediorũ salutis esse determinatã; Sed media ista *aliter* considerari respectu voluntatis antecedentis, *aliter* respectu *consequentis*, quod ex superioribꝰ liquet. Hinc *diversæ* nascuntur propositiones: Ad voluntatem *antecedentem* spectant *illæ*, quæ sunt ἁπλως vel absolutè universales, ita ut ambitu suo comprehendant omnes in universum homines, quales sunt sequentes & de fine h. e. salute nostrâ, & de medijs ad finem istum ducentibus: *Deus vult omnium misereri; omnes diligere; per filium redimere; omnibus filij meritum in verbo Evangelii fide apprehendendum offerre; in omnibus per auditum verbi fidem operari; omnes deniq; per fidem salvare &c.* Ad voluntatem *consequentem* referuntur propositiones *duorum generum* (1.) *Quæ sunt* χειλικῶς & κατά τι *universales*, de omnibus sc. credentibus, quales sunt; *Deus vult omnes credentes in Christum Justificare, sanctificare, in fide conservare, & tandem glorificare & salvare &c Nota* hic obiter harum *duarum* pro-

propositionum diversitatem: *Deus vult per fidem omnes homines salvare*; &, *Deus vult omnes credentes salvare*: *Hæc* declarat voluntatem Dei *consequentem*: *Illa antecedentem*; in *hac* fides spectatur, *quatenus* actu existit in hominibus; in *illâ* simpliciter consideratur, *quatenus* est medium salutis à Deo ordinatum, sive id actu amplexentur homines, sive non. (2) quæ sunt *tantummodò particulares* de solis in fide finaliter perseverantibus, quales sunt: *Deus vult solos in fide perseverantes usq; ad finem in eâ conservare, confirmare, & tandem æternâ beatitudine donare.*

XXXVII. (3) Voluntatem consequentem non esse contradictoriè oppositam voluntati antecedenti, sed ὑπαλλήλως subordinatam. Relegatur enim hîc omnis species contradictionis per conditionem & determinationem *fidei* antecedenti voluntati inclusam. Vult enim Deus hac voluntate, omnes homines salvari, non *absolutè* sed *determinatè & conditionatè, per*

 fidem

fidem in Christum; vel *si in Christum sint credituri*. Huic voluntati obtemperantes jam per consilium & decretum voluntatis *consequentis* salutem consequuntur: Qui verò hoc consilium voluntatis Dei *antecedentis* spernunt, ut *Pharisæi* Luc. 7. v. 30. Illi per alterum illud decretum voluntatis *consequentis* æternæ damnationi adjudicantur, id quod cum voluntate Dei antecedente non pugnat, quippe quæ nunquam voluit, ut salventur omnes sive credant sive non credant, sed ut salventur omnes, mediante fide in Christum.

XXXVIII. Hinc ergo duo emergunt voluntatis consequentis decreta specialia ἀνθυπηνεμφέα. *Unum* Electionis; *alterum* Reprobationis: *Electionis* decretum tale est: *Vivo ego Deus, volo & decerno, ut omnis qui credit in Christum, inquè fide hac ad finem usque perseverat, non pereat, sed habeat vitam æternam Iohan.* 3. v. 16. c. 6. v. 40. *Matth.* 10. v. 22. 1. *Cor.* 1. v. 21. *Reprobationis* decretum tale est: *Vivo ego DEUS, volo & decerno, ut, qui in Christum non credit, sed in incredulitate ad finem usquè perseverat, condemnetur, imo jammodò, h. e. ab æterno sit damnationi addictus Joh.* 3. v. 18. *Marc.* 16. v. 16.

XXXIX. Postremò voluntas hæc divina, tàm παραγγελία quàm ἐντολή, pro *diverso* respectu nominatur à veteribus jam *abscondita*, vel occulta, jam *revelata*: *Abscondita, quatenus* ea ab æterno ante jacta mundi fundamenta, in arcano Dei sinu latuit, quasi occultata: *Revelata, quatenus* ea per Evangelium nobis in tempore est patefacta.

XL. Sacramentarij abutuntur hac distinctione; *illam* vocantes voluntatem *beneplaciti*, hanc *signi*, & statuentes, quod Deus, quem *voluntate* signi vocat ad regnum gratiæ, eundem voluntate beneplaciti, & hac quidem solâ motus, nullô respectu habitô ad incredulitatem, ab æterno

damnationi devoverit. Quæ cruda Theologia in Deo contradictorias fingit voluntates, & statuit, Deum *aliud* in verbo suo de hominum salute revelasse; *aliud* verò, imò contrarium planè in occulto retinuisse, quod doctrinæ genus meritò nos cum scripturâ rejicimus.

XLI. *Quintò*: Causa electionis *προκαταρκτικὴ externa impulsiva est* meritum Christi servatoris nostri *Ephes.* 1. v. 4, 5, 10. 2. *Tim.* 1. v. 9. quod ratione *acquisitionis* est universale, & pro omnibus universorum hominum peccatis, eorumq; pœnis *cùm* temporalibus *tùm* æternis sufficientissimum & *valore* soluti precij & *intentione tàm* Patris Filium suum ad redimendum universum genus humanum mittentis, *quàm* filij λύτρου pro eo solventis; sed ratione *applicationis* fit particulare, *quatenus* maxima pars hominum id incredulitate suâ rejicit, & sic propriâ culpâ reatum æternæ damnationis sibi attrahit, *Esa.* 53. v. 6. *Rom.* 5. v. 18. 2. *Cor.* 5. v. 5.

v. 5. 1. *Tim.* 2. v. 6. c. 4. v. 10. 1. *Johan.* 2. v. 2. *Job.* 4. v. 42. 1. *Iob.* 4. v. 14. *Rom.* 14. v. 15. 1. *Cor.* 8. v. 11. 2. *Pet.* 2. v. 1. *Heb.* 10. v. 29. *Ose.* 13. v. 9. *Matth.* 22. à versu 1. usq; ad 14. Et *Luc.* 14. à versu 16. usq; ad 24.

XLII. *Sextò*: *Objectum* Electionis sunt homines, quos Deus ab æterno præscivit virtute Spiritûs S. per Evangelij prædicationem in Christum credituros, & in hac fide usq; ad finem vitæ perseveraturos *Iacob.* 2. v. 5. 2. *Thess.* 2. v. 13. 1. *Pet.* 2. v. 2, 5. *Rom.* 8. v. 30. 2. *Tim.* 1. v. 9, 10. *Matth.* 10. v. 22. c. 24. v. 13. *Marc.* 13. v. 13. *Apoc.* 2. v. 10. 1. *Cor.* 1. v. 21. *Iob.* 6. v. 40.

XLIII. Ubi *nota* (1) Objectum Electionis considerari *bifariam*. 1. *Materialiter, quatenus* sunt homines. 2. *Formaliter, quatenus* in Christum credunt, & in hac fide ad finem usq; perseverant: Unde manifestò apparet, fidem in decreto Electionis sustinere *formalem rationem* Objecti, cujus respectu *determinationis* partibus fungitur: Et

quia meritum Christi hic non spectatur tantùm ratione *acquisitionis*, sed inprimis ratione *fiducialis applicationis*, quæ perficitur solâ fide justificâ, hinc jam fides alium quoquè modum considerandi in decreto electionis sortitur, *quatenus* nempe est medium, quô meritum Christi fiducialiter apprehenditur.

XLIV. (2) Fidem in decreto Electionis attendi non tantùm ratione *formæ vel essentiæ suæ*, quæ collocatur in fiduciali meriti Christi apprehensione, sed cumprimis quoq; ratione *finalis perseverantiæ*. Non enim omnes credentes sunt Electi, sed soli in fide ad finem usq; perseverantes, ut ex superioribus liquet manifestissimè.

XLV. (3) Perseverantiam in fide electorum debere spectari, non *quoad actum continuum*, sed quoad *finem vel terminum vitæ ultimum*. Possunt namq; electi peccatis regnantibus, & securitate carnali fidem salvificam *penitus & totaliter* amittere, gratiâ Dei excidere, & Spiritum S. excutere, quod exempla *Davidis, Petri*, & *aliorum sanctorum* in peccata contra conscientiam prolapsorum ὀφθαλμοφανεῖς ostendunt & testatum faciunt, vide 2. *Sam.* 11. v. 4. 15. & *Matth.* 26. v. 70, 71. verùm in ijs *finaliter* non persistunt, sed resipiscentes in gratiam pristinam redeunt, & æternæ salutis participes redduntur, quod nisi fieret, in numero Electorum censendi non essent.

XLVI. (4) Fidem ingredi electionis decretum, non *ratione actualis existentiæ*; Sic enim illius tantùm est *consequens*, & virtute Spiritus S. per Evangelij prædicationem *in tempore demum* producta: Sed *ratione divinæ præscientiæ*, secundùm quam ab æterno omnia sunt Deo præsentia, nihil præteritum, nihilq; futurum *Rom.* 8. v. 29. c. 11. v. 2. 1. *Pet.* 1. v. 2. *Psal.* 139. v. 16. *Act.* 15. v. 18.

XLVII. (5) Fidem & perseverantiam in ea finalem esse dona Dei *mediata*, non *immediata*; nec *absolutè* sed *sub conditione usurpationis mediorum divinitùs ordinatorum* promissa, quæ quidem per prædicationem Evangelij omnibus *offeruntur*, sed virtute Spiritûs S. solis ijs *conferuntur*, qui medijs divinitûs ordinatis eô, quem Deus in verbo suo præscripsit, *modô* utuntur, h.e. qui verbum Dei *diligenter*, *seriò & attentè* audiunt, legunt & meditantur, pijs precibus assiduè & indesinenter invigilant, atq; peccata contra conscientiam evitant, 2. *Thes.* 2. v. 2. *Col.* 2. v. 12. *Phil.* 1. v. 29. *Matth.* 13. v. 3. *& seqq. Luc.* 8. v. 5. *& seqq.* 2. *Cor.* 2. v. 16. *Rom.* 1. v. 16. *Rom.* 10. v. 17. *Ioh.* 17. v. 20. *Ioh.* 16. v. 23. 1. *Ioh.* 5. v. 14. *Luc.* 11. v. 13.

XLVIII. Porro de *obiecto* electionis in disquisitionem veniunt *nonnulla quæstiones* hôc locô attingendæ: Quæritur enim (1) *An certus sit electorum numerus?* Resp. *Distinguendo inter certitudinem absolutam*, quæ pendet à solâ & absolutâ Dei voluntate, nullis medijs determinatâ, nec ullâ conditione limitatâ; *& ordinatam vel in τάξει divinitùs constitutâ fundatam*: Certus est eorum numerus, non *illô*, sed *hôc* modô; Et quidem 1. ratione τάξεως *illius divinæ*, decreto electionis inclusæ: *Qui credit in Christum, & in ea fide ad finem usq; perseverat, is salvus erit.* 2. *Ratione infallibilis Dei præscientiæ*, quâ Deus novit ab æterno, qui τάξιν illam sint secuturi & amplexuri, & quinam sint eam neglectui habituri, atque aspernaturi. Vide 2. *Tim.* 2. v. 19. *Rom.* 8. v. 29.

XLIX. Quæst. (2) *An numerus electorum possit augeri vel minui?* Resp. *Distinguendo inter id, quod est ἁπλῶς vel absolutô & fatali quodam decretô; & quod est πῶς vel certô respectu impossibile.* Si quæstio explicetur & intelligatur *de eo, quod est ἁπλῶς impossibile*, negativam tenemus. Non enim 1. *ἁπλῶς impossibile est*, plures finaliter credere posse, modò media divinitùs ordinata usurpare vellent; Ergo nec *ἁπλῶς impossibile*

bile est, plures posse eligi & sic electorum numerum augeri. Vide Matth. 11. v. 12. Nec (2) ἁπλῶς *impossibile est*, illos, qui finaliter credunt, posse non credere, si media divinitùs ordinata repudiarent: Ergo nec ἁπλῶς *impossibile* est, illos ipsos posse non eligi & sic numerum electorum minui. Quod si verò quæstio explicetur & intelligatur *de eo, quod est πῶς certôquè respectu impossibile*, non dubitamus affirmativæ subscribere. Cum enim numerus *credentium* nec augeatur, nec minuatur, sed certitudini (*ordinatæ sc. non, absolutæ*) sit inclusus; Ergo impossibile quoq; est numerum electorum augeri vel minui posse.

L. *Quæstio* (3) *An electi possint fieri & dici reprobi*? Resp. *Distinctæ* sunt quæstiones, & postulant quoquè *distinctam* responsionem; Ad *priorem* ergo: *An electi possint fieri reprobi*? Vel quod idem: *An qui semel inscripti sunt in librum vitæ, rursus exindè deleri & æternùm perire possint*? Repetimus *priorem* distinctionem & statuimus, electos non posse fieri reprobos, non quidem *ob impossibilitatem absolutam*, ex decretò quodam fatali & absolutò, quod omnium salutis mediorum πάξιν excludit, ortam, sed *ob respectivam*, ex finali perseverantiâ electorum in fide salvificâ, infallibiliter à DEO præscitâ, & πάξει decreti electionis inclusâ, natam & in ea fundatam Heb. 3. v. 6. Matth. 24. v. 24. Rom. 8. v. 30. & 39.

LI. Ad *posteriorem*: *An nimirum electi possint dici reprobi*: vel quod idem: *An electio & reprobatio de uno eodemq; subiecto prædicari possint*? Resp. Per distinctionem *inter sensum compositum & divisum*: Quoad *illum* negamus; Non enim verè possumus affirmare *in sensu composito* quod v. g. Petrus sit simul electus & reprobatus. *Quoad hunc* verò affirmativa nobis arridet: Verè enim dicitur: Petrus potuit *aut* eligi *aut* reprobari, nimirum propter ordinem, qui decreto electionis inclusus est

est, quiq; *non absolutè ad personas*, sed *determinatè ad media salutis*, quæ Petrus vel amplecti vel aspernari potuit, fixus est: Quod si ergo Petrus, neglectis salutis mediis, in Christum non perseveranter credidisset, non eligi, sed reprobari & damnari potuisset, quod ex antedictis etiam sat perspicuè nobis constat.

LII. *Septimò*: Electio facta est *ab æterno ante jacta mundi fundamenta* Ephes. 1. v. 4. 2. Thes. 2. v. 13. 2. Tim. 1. v. 9. *Decreta* enim divina, in quorum censum etiam venit electio, fiunt *in æternitate*, sed *decretorum illorum executio* perficitur *in tempore*.

LIII. *Octavò*: *Finis* electionis consideratur *vel respectu nostri*; & sic est sanctificatio in *regno gratiæ* Ephes. 1. v. 14. & glorificatio seu vitæ æternæ possessio *in regno gloriæ* Act. 13. v. 48. 2. Tim. 1. v. 16. Rom. 8. v. 30. Ephes. 1. v. 4. 2. Thes. 2. v. 13. 1. Pet. 1. v. 2. 5. *Vel respectu Dei*, & atquè sic est gloriæ & misericordiæ ejus manifestatio. Ephes. 1. v. 6. & 12.

LIV. Hactenus de *electionis decreto*, quod concernit in Christum credentes, & in ea ad finem usq; perseverantes: Huic contradistinctum est aliud, quod vocatur *decretum reprobationis*, & sancitum est de incredulis, & in ista incredulitate ad finem vitæ persistentibus.

LV. *Definitur* autem reprobatio, quod sit decretum divinum, juxta quod Deus ab æterno homines incredulos, & in ista incredulitate ad finem usq; vitæ perseverantes justò judiciò adjudicat æternæ damnationi ad declarandam suam justitiam, *Ioh.* 3. v. 16, 18. & 36. *Marc.* 16. v. 16 &c.

LVI. Circa hoc decretum nota (1) idipsum non esse *absolutum*, ex absolutò quòdam odiò profectum, sed incredulitate *finali* ab æterno à Deo prævisâ *determinatum* (2) Causam illius *principalem* esse DEUM, justum judicem. (3) Causam προηγουμένην, justitiam Dei *vindicatricem* (ut ita de divinis loquamur ἀνθρωποπαθῶς) (4) Causam προηγουμένην

παρελκὸν, peccata lethifera, & inprimis incredulitatem, non *simpliciter*, sed ratione *finalis perseverantiæ* consideratam. (5) *Formalem* consistere in ipsa actione, quâ Deus ab æterno finaliter incredulos adjudicavit æterno supplicio. (6) *Materialem* esse homines *finaliter* incredulos, *quà tales*. (7) *Finalem*, respectu *impiorum* æternam, in quam in extremo judicio præcipitabuntur, damnationem & cruciatum æternorum in inferno perpessionem; respectu verò DEI declarationem justitiæ ejus, peccata hominum vindicantis & punientis.

Hæc ita breviter delineare visum fuit, cum de illis propter instituti rationem prolixiùs agere jam non liceat. *Antithesin* ad ipsum disputationis conflictum rejicimus.

Fastigium disputationum Theologicarum h. e.

Disputatio Solennis XIX.

De

JUSTIFICATIONE HOMINIS PECCATORIS PÆNITENTIS CORAM DEO.

Pro summo in Theologiâ gradu consequendo

à

GEORGIO MANCELIO SS. Theolog. Professore, & Ecclesiæ Dorpatensis Pastore primario, ejusdemq; Diœceseos Præposito

Publicæ disquisitioni subjecta 19. Decembr. Anno 1632.

THESIS I.

ARticulus de JUSTIFICATIONE ἀκρόπολις est, & σύλλογος totius doctrinæ & religionis Christianæ, quô stante stat Ecclesia, quôq; ruente ruit, ut verissimè *D. Lutherus* s.m. ex *Augustin.*

Enchirid. ad Laur. cap. 64. *in Enarrat. Psalmi CXVII. tom.* 5. *Jen. Germ. f.* 159. *b.* ait. Verum namq; salutis nostræ fundamentum complectitur JESUM CHRISTUM 1. *Cor.* 3. v. 11. cui *Soli* competentem redemtionis honorem *Esa.* 43. v. 25. *cap.* 63. v. 3. tribuit, & animas desperationi vicinas solatur, atq; erigit *Rom.* 4. *v.* 7. *cap.* 5. *v.* 1.

II. Hunc fidei articulum, DEO favente pertractaturis facem nobis non rationis nostræ placita 1. *Cor.* 2. v. 14. sed fidei tabulæ & proprium Theologiæ principium, Sacræ scilicet literæ præferant *Psalm.* 119. *v.* 105. 160. *Joh.* 17. v. 17.

III. Cumprimis verò hâc vice authentica & aurea D. Apostoli Pauli verba *Rom.* 3. *v.* 24. in medium procedant: *Justificantur gratis gratiâ ipsius, per redemtionẽ, quæ est in CHRISTO JESV, v.* 25. *quem proposuit DEVS propitiatorium, per fidem in Sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ per remissionem præcedentium delictorum, v.* 26. *in tolerantiâ DEI, ad ostensionem justitiæ ejus, in præsenti tempore, ut sit ipse justus & justificans eum, qui ex fide est IESV.*

IV. Digni sanè sunt paragraphi, quorum non singulas tantùm voces, sed singularum etiam vocum singulos quasi apices presiùs evolvamus. Quod faciemus, quantum chartæ angustia permittet, datâ Justificationis hominis peccatoris pœnitentis coram DEO definitione, evolvendo distinctim causas, in quibus ea consistit.

V. Est autem *Justificatio hominis actio DEI* Rom. 3. v. 26. *quâ hominem peccatorem* Rom. 4. v. 5. *gratis* cap. 3. v. 24. *propter* CHRISTUM *fide apprehensum* ibid. v. 25. *in gratiam suscepit* v. 24. *ita ut peccatis remissis* cap. 4. 8. *ac* CHRISTI *justitiâ imputatâ, eum justum pronunciet* cap. 4. v. 3. 5. 6. 22. *ad divini nominis sui gloriam* cap. 3. v. 26. *& hominis salutem* v. 25.

VI. Occurrit in hac definitione nobis expendendum vocabulum JUSTIFICANDI, quod ordine primum est: disputatur enim, *num in hoc*

articulo iudicialem seu forensem significationem obtineat? Id quod Nos contra Pontificios affirmamus, taliq; argumento confirmamus: Quodcunque vocabulum (α) ἰδιολισμῷ linguæ Græcæ & Hebrææ judicialem admittit significationem, & (β) cujus æquipollentia ejusdem naturæ sunt, & (γ) contrarium judiciale est, illud quoq; forensem habet significationē. Atqui vocabulū Justificationis ἰδιολισμῷ linguæ Græcæ & Hebrææ significationē forensem admittit: *Græca* enim duas vocis δικαιῶν admittit significationes, utrasq; forenses, *Vide Scapul. column.* 402. *Hebræa*, verbi הִצְדִּיק, quod in negocio justificationis usurpatur, significationem itidem forensem esse docet, & reddit per τὸ absolvere, justum declarare, pro justō reputare, & existimare, testimonium justitiæ dare, &c. sicut exempla plurima monstrant, non solùm extra justificationis gratuitæ coram DEO doctrinam, *Gen.* 44. *v.* 16. *Exod.* 23. *v.* 7. *Deut.* 25. *v.* 1. 2. *Sam.*

2. *Sam.* 5. *v.* 4. 1. *Reg.* 8. *v.* 32. (ubi justificare tria notat. 1. accusatum absolvere. 2. Justum pronunciare. 3. Præmium justitiæ attribuere) *Psal.* 82. *v.* 3. *Esa.* 5. *v.* 23. *cap.* 50. *v.* 8. *&c.* sed etiam in ipsō Justificationis articulō, *Psal.* 143. v. 2. *Iob.* 9. *v.* 2. 3. *&c. Æquipollentia*, quæ de Justificatione in S. Scripturâ usurpantur, itidem sunt forensia & judicialia. Quod enim hōc locō *Rom.* 3. *v.* 24. cum D. Apostolō dicimus homines per fidem in Christum justificari, id *idem* per τὸ remittere peccata *v. seq.* imputare justitiam *Rom.* 4. *v.* 3. condonare peccata *Col.* 2. *v.* 15. exponit: *Psalles* effert per τὸ non vocari in judicium *Psal.* 143. *v.* 2. CHRISTUS per τὸ non judicari *Joh.* 3. *v.* 18. & non venire in judicium *Ioh.* 5. *v.* 24. *Contrarium* Justificationis, *Condemnatio scilicet*, non minùs significationem habet forensem & judicialem: Idq; iterum non solùm extra doctrinam Justificationis gratuitæ coram DEO, *Deut.* 25. *v.* 1. 1. *Reg.* 8. *v.* 32. *Prov.* 17. *v.* 15; sed etiam in ipsō

Justificationis articulô *Rom.* 5. *v.* 16. 18. *cap.* 8. *v.* 33. 34. Ergò & ipsa Justificatio talis est.

VII. Adde: Quam significationem vocabulum Justificationis in propria hujus articuli sede obtinet, eandē quoque ipsi tribui necesse est. At forensem & judicialē significationē &c. E. Minor probatur, quia methodus Epistolæ ad Romanos, in quâ doctrina de Justificatione ex professô tractatur, tota est ad processum judiciarium accommodata, & in eâ omnia requisita judicii conspiciuntur.

IIX. Unū tamē hîc observa; Justificandi vocabulū in hôc articulô nō omninò πολιτικῶς & civiliter, sed potiùs θεϊκῶς accipiendum esse: nam in forô politicô justificandum oportet propriâ justitiâ justum esse; sed in forô Theologicô justificamur alienâ justitiâ. *D. Meisn. part* 2. *Philos. Sobr. sect.* 1. *cap.* 1. *q.* 28. *th.* 1.

IX. In scholâ Pontificiorum præ

cæteris videmus obmurmurantem *Robertum Bellarminum*, qui *lib.* 2. *de Justif. cap.* 3. *edit. Col. tom.* 4. tria producit testimonia, quibus probare conatur, verbum justificare non esse forense, vel justificari per CHRISTUM non significare, censeri aut pronunciari justum, sed verè fieri justum per infusionē justitiæ perfectæ: *primum* petit ex *cap.* 5. *Rom. v.* 19. Sed inane latibulum: Quando enim Cardinalis *cit. loc. H.* fatetur, quotiescunq; condemnatio describitur tanquam actus DEI, tunc significationem vocis esse forensem, eô ipsô quoq; vocabuli justificationis forensem esse significationem concedit. *Subsumo*: *Rom.* 5. *v.* 16. 18. condemnatio tribuitur DEO tanquam justo judici, & in oppositione dicimur justificari fide in CHRISTUM. E. irrefragabiliter evincitur, justificationem non minus quàm condemnationem esse actum judicialem. Opposita enim sunt sub eôdem genere. Quare

ut Condemnatio nunquam fit extra actum forensem, ita nec Justificatio coram DEô: Et consequenter, non potest pro infusione justitiæ sumi.

X. *Alterum* pro statuminandâ suâ sententiâ testimonium Bellarminus depromit *ibid. B. ex Dan.* 12. v. 3. At verò citiùs aquam è pumice, quàm infusionem justitiæ ex hôc locô Jesuita eliceret. Annè enim Doctores novas justitiæ qualitates, quibus homo coram Deo justificatur, infundunt? Absurdè. Nec tamen ἀθεολόγως statuimus & DEUM & ministros verbi divini justificare: DEUS enim justificat, hoc est, solvit, remittit, & condonat peccata (en forensem significationẽ!) sed utitur ad hoc ministeriô verbi 2. *Cor.* 5. v. 19. *Matth.* 18. v. 18. *Ioh.* 20. v. 23. Ergo & DEUS justificat, & Doctores: DEUS πρώτως, efficienter & principaliter, *Rom.* 3. v. 24. Ministri verò ὀργανικῶς, instrumentaliter 1. *Tim.* 4. *ult. Rom.* 1. 16. quod & Propheta dictô locô solummodò intendit.

XI. Neq;

XI. Neq; ex *tertiô* testimoniô *Esa.* 53. v. 11. Cardinalis suæ inhærentis justitiæ patrocinium impetrabit. Ipsi enim ad Hebrææ linguæ tribunal appellanti respondemus, unanimi Hebræorum OMNIUM sententiâ *verba Hebraa in Hiphil non semper usurpari in significatione effectivâ, sed quandoq; permissivâ & declarativâ. Vide Ex.* 22. v. 9. *Deut.* 25. v. 1. 2. *Sam.* 15. v. 4. *Prov.* 17. v. 15. Quod Bellarminum, qui Hebræam Grammaticam scripsit, fugere non debuisset. Atq; in hâc imputativâ vel declarativâ significatione vox justificationis in Elaiæ loco sumenda: *Servus meus justus* (non solùm essentialiter secundùm Divinam naturam, & inhæsivè secundùm humanam naturam, sed etiam activè, qui sanctissimâ suâ obedientiâ & passione perfectâ peperit justitiâ) *in notitiâ sui*, dum verâ fide agnoscitur & apprehenditur, *justificabit*, id est, absolvet, justos pronunciabit & reputabit,

multos, (puta quotquot in ipsum credunt,) & iniquitates ipsorum portabit *Ioh.* 1. v. 19. ideò enim *justificantur per redemtionem, quæ est in* CHRISTO JESV, *quia proposuit eum* DEUS *propitiatorium per fidem in Sanguine ejus*, explicante Apostolò *Rom.* 3. v. 24. 25. *& cap.* 5. v. 9.

XII. Expositâ verbi, JVSTIFICARE, significatione, quæ forensis est, Pontificiorum verò interpretatione, utpotè S. Scripturæ incognitâ, explosâ, Justificationis causas inquiremus accuratiùs. Dicimus autem *Efficientem causam primariam* esse DEVM, & quidem solum, ἀπλῶς consideratum, *Rom.* 3. v. 26. *Esa.* 43. v. 25. *Ose.* 13. v. 4. *Marc.* 2. v. 7. *Rom.* 8. v. 34. *Gal.* 3. v. 8. Servatò tamen ordine & cujusq; personæ proprietate *Eph.* 4. v. 32. *Col.* 3. v. 13. *Rom.* 8. v. 34. *Esa.* 53. v. 11. 1. *Cor.* 6. v. 11.

XIII. *Causa impulsiva interna est DEI gratia*, *Rom.* 3. v. 24. *Eph.* 2. v. 4. quæ est gratuitus ipsius, & ardentissimus

mus amor & favor, quò credentes in CHRISTUM complectitur, eosq; in dilectò filiò suò diligit *Eph.* 1. v. 6.

XIV. Nulla autem dubitandi ratio est, quin in articulò justificationis & salvationis voce, GRATIA DEI, favor & benevolētia DEI intelligatur, minimè verò Dona & qualitates nobis à DEO absq; nostrò debitò gratis donatæ, quibus justi coram DEO constituamur, uti vult *Bellarminus lib.* 1. *de grat. & liber. arbitr. cap.* 1 *H.* unde *ibid. G.* gratiam inde nomen accepisse scribit, quod gratis detur, & gratos nos efficiat DEO. *Coster. in Enchirid. p.* 232. Et *Bellarm. cap.* 3. *H. libr. cit.* hanc gratiam dicit esse qualitatē nobis à DEo infusam.

XV. NOS nostram orthodoxam sententiam sequentibus munimus argumentis. I. Cujus oppositum significat mercedem debitam, illud significat acceptionem gratuitam. At gratiæ oppositum hôc locò significat mercedem debitam *Rom.* 4. *v.* 4. *cap.* 11. *v.* 6.

11. v. 6. Ergò ipsa gratia acceptionem gratuitam.

XVI. II. Justificatio & Salvatio in Scripturis tribuitur gratiæ, *Rom.* 3. v. 24. misericordiæ, *Eph.* 2. v. 4. 1. *Petr.* 1. v. 3. Philanthropiæ *Tit.* 3. v. 4. 5. 7. & dilectioni DEI, *Ioh.* 3. v. 16. 1. *Ioh.* 4. v. 9. Ergò hæc habenda sunt pro æquipollentibus. *Excipit Bellarm. lib. 2. de Justific. cap. 3. A.* Favorem DEI satis explicari per illam vocem GRATIS: Qui enim gratis justificat, certè ex benevolentiâ & liberalitate justificat: illa igitur additio, PER GRATIAM, non ipsum favorem, sed aliquid aliud, id est, effectum illius favoris significabit. *Respondeo*: Vox GRATIS genuinam significationem vocabuli GRATIÆ non parum illustrat, quippe quæ indicat, nihil invenire DEUM in nobis, unde salvet, multum verò unde damnet, *ut Augustini verbis utar serm. 15. de Verb. Apostol.* GRATIS, inquit Apostolus, DEI gratiâ justificamur, quia

quia DEUS non requirit à nobis ullum precium vel satisfactionem *Esa.* 55. v. 1. 2.

XVII. III. Gratia DEI opponitur Operibus nostris *Rom.* 3. v. 24. *cap.* 4. v. 4. *cap.* 11. v. 6. 2. *Tim.* 1. v. 9. *Ephes.* 1. v. 5. 6. Atqui dona & qualitates divinitùs nobis infusæ pertinent ad opera nostra. Ergò DEI gratia, hæc dona & qualitates in tractatione Apostolicâ hujus articuli non significabit; aliàs enim ἀνθυποφόρησις Gratiæ & Operum, quam Apostolus tantoperè urget, exspirabit. Quid? quod dona & qualitates à DEO gratuitò nobis infusæ, effectus sint divinæ hujus gratiæ, ac proinde non sunt ipsa divina gratia: quod enim fit, non est illud, à quò fit. *Vide Rom.* 5. *v.* 15. 16. 17.

XIIX. IV. Inprimis illustre argumentum exhibet textus Apostolicus 2. *Tim.* 1. v. 9. quod tale est: Quâ gratiâ electi sumus ab æterno, eâ & non aliâ justificamur in tempore: unde

unde illud tritum in Scholis Theologorum: *Eadem est ratio Prædestinationis ab æterno, quæ justificationis in tempore.* Est gratiâ DEI, hoc est, DEI misericordiâ & favore in CHRISTO sumus electi ab æternò *Eph.* 1. v. 4. E. eâ & non aliâ, hoc est, DEI misericordiâ & favore justificamur in tempore.

XIX. V. Resolvant Pontificii pronunciatum Apostolicum *Rom.* 5. v. 20. *Vbi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Hui Cardinalis! explica hôc locô Gratiam per Justitiam inhærentem, & habebis axioma Jesuiticum, non galero Cardinalitio dignum, sed sandaliis meritò explodendum: *Vbi abundat peccatum, ibi superabundat inhærens justitia.*

XX. Meritoria causa Justificationis nostræ est ἀπολύτρωσις, quæ est in CHRISTO JESU *Rom.* 3. v. 24. hoc est, quam per CHRISTUM habemus: vel quod idem est: JESUS CHRISTUS διάθεωρ, cum toto suo merito, quod spectatur in obedientiâ ejus Activâ & Passivâ.

XXI. Ju-

XXI. Justificamur quidem GRATIS, DEI GRATIA *Rom.* 3. v. 24. attamen Apostolus addit, *per redemtionem, quæ est in* CHRISTO JESU, *quem proposuit* DEUS ἱλαστήριον *per fidem (interveniente) ipsius sanguine, ad ostensionem justitiæ suæ, per remissionem præteritorum peccatorum.* Non enim tantùm DEUS est misericors *Ps.* 103. v. 8. sed etiam justus *Syr.* 5. v. 7. ita *ut in judiciis divinis nihil decedat à veritate justitiæ, nihil à miseratione clementiæ*, quod *Leonis* dictum est *Serm.* 1. *de jejun.*

XXII. Cum igitur DEUS non solùm justus, sed & ipsa justitia sit, peccataq; odio habeat *Exod.* 20. v. 5. *Psal.* 5. v. 5. utiq; meritum aliquod intervenire opus fuit, quô Divinæ justitiæ satisfieret. *Esa.* 1. v. 27. eaq; propter Filium suum unigenitum solâ misericordiâ & dilectione erga genus humanum motus in mundum misit *Joh.* 3. v. 16. ut opus redemtionis nostræ perficeret, nosq; per illum vitam haberemus, 1. *Joh.* 4. v. 6.

XXIII. Quæ-

XXIII. Quæritur hic: *An* CHRISTUS θεάνθρωπος *nos redemerit? an verò opus redemtionis ad solam carnem sit referendum?* Nos prius contra illos (non enim ejusdē sunt furfuris) Calvinianos, qui per *solam* carnē CHRISTI nos redemptos esse docent, affirmamus. *Psal.* 130. v. 8. *Esa.* 43. v. 14. 24. *Zach.* 12. v. 10. *Matth.* 27. v. 54. *Act.* 20. v. 28. 1. *Cor.* 2. v. 8. *Ioh.* 1. v. 14.

XXIV. Quæritur deinde: *Per quid* CHRISTUS θεάνθρωπος *justitiam & salutem nobis promeruerit?* Respond: Totam CHRISTI obedientiam, quâ Patri usq; ad mortem obediens factus *Philip.* 2. v. 8. tàm *Activam*, quâ ipse legi non subjectus, totam legem perfectissimè pro nobis implevit *Matt.* 5. v. 17. quàm *Passivam*, quâ ipse integer & sanctus nostri causâ legis maledictum & pœnas tulit *Gal.* 3. v. 13. *cap.* 4. v. 4. esse meritoriam causam nostræ salutis & justificationis.

XXV. Opponimus *Johannis Piscatoris* Lectoris Herbornensis, & *Matthiæ*

thiæ Martinii Lectoris Bremensis dogmati, quod Christi Activa obedientia ad nostri justificationem non requiratur, sed Passiva solùm, hæc argumenta: I. Christus pro nobis legē implevit, & fecit voluntatem Patris *Rom.* 10. v. 4. *Matth.* 5. v. 17. *Ps.* 40. v. 10. Ergo obedientia ejus activa ad justificationē nostri requiritur: Ratio consequentiæ est, quia impletio legis, & voluntatis divinæ executio activam designant obedientiam. II. Si activa Adami inobedientia nobis fuit pestifera, è contrario activa CHRISTI obedientia nobis fuit salutifera: Contrariorum enim contraria est consequentia. At prius *Rom.* 5. v. 15. Ergò & posterius. III. CHRISTUS eôdem modô factus est sub lege, ut redimeret, justificaret, & vitam conferret, quô nos, pro quibus redimendis missus est à Patre, sub lege fuimus, *Gal.* 4. v. 4. At nos eramus sub lege duobus maximè modis (α) *ratione obligationis* ad perfectam obedientiam legi præstandam

(β) *ratione pœnæ*, seu sententiæ mortis ac damnationis æternæ. E. & CHRISTUS activam obedientiam præstitit, ut nos redimeret, quæ activa CHRISTI obedientia nobis ad justitiam imputatur. Plura argumenta qui volet, adeat *Dn. D. Batt. libr. 1. de Justificat. cap. 9.* Sic de causâ promerente.

XXVI. *Causa Materialis* Justificationis *non est Angelus bonus*; is enim in veritate, in quâ creatus erat, obedienter permansit, atq; in eâ jam confirmatus est; hinc CHRISTUS dicitur *non assumsisse Angelos Hebr. 2. v. 16. neq; Angelus malus*: is enim quanquam à veritate, in quâ creatus erat, liberâ voluntate desciverit, tamen *æternis vinculis ad judicium reservatur 2. Pet. 2. v. 4. neq; animal irrationale*: siquidem ejus anima unà cum corpore interit: sed HOMO. Hominem autem cum dico, Peccatorem intelligo: quid enim est homo, ut mundus sit, & ut justus appareat natus de muliere, *Iob. 15. v. 14. Prov.*

14. *Prov. 20. v. 9.* neque verò omnem peccatorem, sed sensu peccatorum atq; iræ divinæ contritum, & ad gratiam ac misericordiam DEI verâ fide confugientem.

XXVII. Quemadmodum enim DEUS omnem infidelem sive non-credentem damnat *Marc. 16. v. 16. Iob. 3. v. 16. & seqq.* ita omnem tantùm credentem, hoc est, satisfactionem & meritum CHRISTI fide non simulatâ apprehendentem justificat *Rom. 3. v. 22, 25, 26. Gal. 3. v. 8.*

XXIIX. Quamvis enim Gratia DEI sit Universalis, Omnibusq; hominibus offeratur, & Meritum CHRISTI itidem sit universale, ac pro omnibus peccatoribus sufficiat; minimè tamen Justificatio est Universalis, hoc est, non omnes omninò homines actu justificantur, non quidem ob gratiæ DEI, vel meriti CHRISTI defectum, sed culpâ & vitiô hominum, qui suâ incredulitate gratiam DEI respuunt, ac meritum CHRI-

STI aspernantur *Ose.* 13. v. 9. *Luc.* 7. v. 30.

XXIX. *Causa Instrumentalis* non est humanitas CHRISTI, ut censet *Bellar. lib.* 1. *de Iustif. cap.* 2. quæ opinio ex falsâ procedit hypothesi, quod CHRISTUS sit Mediator secundùm solam humanam Naturam; cui opponimus regulam: quod *Actiones & Passiones totius personæ sint*: & CHRISTUM θεάνθρωπον vel ἀνθρωπόθεον (nõ solam humanitatẽ, quæ nec per se subsistit, nec agit sola) dicimus esse causam Meritoriam, non Instrumentalem justificationis: sed Instrumentalis in forô justificationis *gemina* deprehenditur, *altera* Offerens, quæ ex parte DEI sunt Ministerium *Verbi* (Evangelii) *& Dispensatio Sacramentorum*, per quæ & in quibus beneficia CHRISTI nobis partim offeruntur, partim obsignantur *Luc.* 24. v. 47. *Act.* 13. v. 38. *Rom.* 3. v. 21. *Rom.* 10. v. 17. *Matth.* 26. v. 27. 28. 2. *Cor.* 5. v. 18. *Luc.* 22. v. 20. *Rom.* 4. v. 11. 1. *Petr.*

1. *Petr.* 3. v. 21: Unde *Augustin. lib.* 5. *de Sacramen. cap.* 12. *Bona gratia spiritualia quasi quadam antidota sunt invisibilia, in Sacramentis quasi in visibilibus quibusdam vasculis homini porriguntur*: *altera*, quæ ex parte nostrâ est *Fides*, oblata in Verbô & Sacramentis bona amplectens sibiq; applicans, *Roman.* 3. v. 29. 28. 29. *capit.* 4. v. 5. *Gal.* 2. v. 16. *Ephes.* 2. v. 8. *Phil.* 3. v. 9. De Posteriori, non de priori nobis hôc locô sermo.

XXX. Etsi autem FIDES in se non sit multiplex, sed *una Eph.* 4. v. 5. [una, inquam, *non* (α) *ratione subjectorum, nec* (β) *ratione numeri, nec* (γ) *ratione graduum*; *sed primò* ratione objecti, *deindè*, ratione generis: tenuis enim & infirma fides non minùs cum assensu & fiducià conjuncta est, quàm firma & robusta fides] diversi tamen in eam cadunt respectus: *alia* enim generalis dicitur, alia historica, *Exod.* 14. v. 31. *Iohan.* 5. v. 40.

Iac. 2. v. 14. *alia* miraculosa *Matth.* 17. v. 20. 1. *Cor.* 13. v. 2. *alia* deniq; specialior, quæ ab effectu proprio justificans & salvans fides dicitur, *Rom.* 3. v. 26. *Gal.* 2. v. 16. Jam nos de Fide postremò respectu consideratâ agimus, perq; eam intelligimus non nudam notitiam historicam, sed certam fiduciam de misericordiâ DEI & remissione peccatorum, per & propter meritum CHRISTI JESU.

XXXI. Bellarminus *lib.* 1. *de Justif. cap.* 7. concludit, fidem meliùs per ignorantiam, quàm per notitiam definiri, scilicet ut pictiùs ornet ollam fidei illius implicitæ sive Carbonariæ Papistis commendatæ, nec non fidei Mercatoriæ, de quâ *Gregor. de Valentiâ in anal. de Eccles. p.* 205. Opponimus Bellarmino Robertum: nam in præcedenti capite dixit: Fidei proprium esse plenissimè scire. Concilia. II. Sacræ scripturæ axiomata *Esa.* 43. v. 11. *Ioh.* 17. v. 3. III. Concludimus: Si fides, quâ justificamur, non esset notitia, tum fides justificatorum inferior esset fide Diabolorum & historicâ. Fides enim, quæ non habet notitiam, inferior est illâ, quæ habet. Fides Diabolica & historica habet notitiam *Iac.* 2. v. 19. Sed posterius est absurdum. E. & prius. Plura nolumus cumulare. *Vide sis* 2. *Tim.* 3. v. 7. *Hebr.* 11. v. 1.

XXXII. Pariter, *An Fides sit Fiducia? in controversia est.* Bellarminus ἀποδείκτως, absolutè & totis viribus id pernegat ac impugnat *lib.* 1. *de Justificat. cap.* 5. Nos fidem non modò notitiam & assensum, verùm inprimis fiduciam esse dicimus misericordiæ DEI propter CHRISTUM promissæ, & contra Pontificios urgemus I. Fidei descriptionem *Rom.* 4. v. 21. *Eph.* 3. v. 12. *Heb.* 11. v. 1. II. Oppositionem. Aut credendum, aut dubitandum. At non dubitandum *Rom.* 3. v. 13. *cap.* 4. v. 20, 21. Ergò credendum: credendum aut firmiter aut infirmiter. Non infirmiter *Matth.* 6. v. 3. *cap.* 8 v. 26. *cap.* 14. v. 31. *cap.* 16, 8. *Luc.* 12, v. 28. E.

firmiter & fiducialiter. *Confer Luc.* 8. v. 50. *Marc.* 5. v. 36. III. Locorum parallelorum Veteris & Novi Testamenti collationem: quæ enim in Veteri Testamentò confidentibus & fiduciæ, ea in Novo Testamento credentibus & fidei tribuuntur. *Confer Psal.* 2. *ult. cum Marc.* 16. v. 16. *Esa.* 26. v. 3. *cum Rom.* 8. v. 1. *Prov.* 3. v. 5. *cum Rom.* 10. v. 10. *Psal.* 31. v. 1. *cum Rom.* 10. v. 11.

XXXIII. Fidem justificare *relatè*, respectu CHRISTI, quatenus ejus obedientiam & justitiam intuetur, apprehendit, & sibi applicat, ac SOLAM quidem, contra Pontificiorum agmẽ, quod propositioni isti quàm potest acerrimè adversatur, affirmamus, atq; sic demonstramus. I. Aut fides & opera simul justificant, aut opera sola, aut fides sola. Non *primum*, quia in propria sede hujus articuli excluduntur omnia omninò opera ab actu justificationis, fidesq; & opera opponuntur *Rom.* 3. v. 28. *cap.* 4. v. 5. *cap.* 11. v. 6. *Gal.* 2. v. 16. *Eph.* 2. v. 8. 9. *Tit.* 3. v. 5.

Non *secundum*: Opera enim etiam renatorum sunt imperfecta, immunda, & jam antè debita *Luc.* 17. v. 10. Ergò *tertium*, quod scilicet SOLA FIDES justificet, manet. II. Si SOLA FIDES apprehendit promissionem Evangelij, utique justificat sola: At verum prius. E. & posterius. Copulatũ patet, quia justificatio consistit in apprehensione & applicatione promissionis Evangelicæ de gratuitâ peccatorum remissione, cujus organon apprehensivum sola perhibetur fides *Matth.* 9. v. 22. *Luc.* 7. v. 50. *cap.* 8. v. 50. *Ioh.* 1. v. 12. *cap.* 3. v. 36. *Rom.* 5. v. 1. quæ dicta simul Adsumtũ etiã probant. III. Si homo non ex operibus legis justificatur nisi per fidẽ, utiq; solâ fide: Phrasis enim est in scripturâ usitata, quando propositio aliqua de duabus aut pluribus rebus loquitur, particulam εἰ μὴ, & ἐὰν μὴ, *nisi*, præcedentia membra planè removere & excludere, *Apoc.* 9. v. 4. c. 21. v. *ult.* Marc. 13. v. 13. Gal. 6. v. 14. Johan.

han. 6. v. 44. c. 15. v. 4. Sed verum est Antecedens. *Gal.* 2. v. 16. Ergò & Consequens.

XXXIV. Nunquam igitur patiemur excluſivam particulam nobis excuti, quia (ut plura alia taceamus) eſt inſtar Symboli puræ & Evangelicæ doctrinæ. Quemadmodum enim per Schibboleth Galaaditæ ſuos contribules explorabant *Iudic.* 12. v. 6. ita per particulam SOLA inſidiæ adverſariorum deteguntur.

XXXV. Non certè particula excluſiva Gratiam DEI, aut meritum CHRISTI excludit: hæc enim ad juſtificationis actum requiri ex *v.* 13. & 19 patet: neq; bona opera à juſtificato removet: Ea namq; ex fidei naturâ, & debitæ gtatitudinis ſtudiò omninò præſtari à juſtificatò debent, ſed tantùm opera noſtra ſive antecedentia, ſive conſequentia ex ipsò juſtificationis actu excludit.

XXXVI. Antequam hinc abeamus, *Objectum fidei juſtificantis proprium & ſpeciale*

ciale paucis tangamus. *Bellarm. lib.* 1. *de Iuſtif. cap.* 8. Omnia quæ DEUS revelavit, eò referri vult. Panoplia autem Achilléa, ſub quâ Jeſuita latitat, falsò conſtituitur *ex cap.* 4. *Rom. v.* 18. ubi fidem Abrahæ non reſpexiſſe promiſſionem de remiſſione peccatorum, ſed de multiplicatione generis nugatur, *ibid. & cap.* 11. Verùm ipſemet Apoſtolus emphaticè ſeſe explicat *Gal.* 3. v. 16. unde concluditur nucleum promiſſionis illius eſſe CHRISTUM Mediatorem & Redemtorem. Non ergò promiſſio iſthæc ſolam multiplicationem ſeminis Abrahami, ſed & CHRISTUM ſemen illud benedictionis, primarium juſtificantis fidei objectum, unà comprehendit, *Confer Gen.* 12. *v.* 3. *cap.* 18. *v.* 18. *cap.* 22. *v.* 18. *cum* 3. *cap. Gen. v.* 15.

XXXVII. Breviter: *Obiectum* ſive materia circa quam *fidei ratione notitiæ & aſſenſûs*, eſt omne & ſolum Verbum DEI in ſcripturis Prophetarum & Apoſtolorum comprehenſum: *ratione*

fidu-

fiduciæ, promissiones DEI gratuitæ. Et cùm eæ variæ sint, ideò fidei justificantis proprium & adæquatum objectum esse dicimus promissionem Evangelicam de CHRISTO Mediatore, idq; affirmamus duce Apostolò, *Rom.* 3. v. 24. 25. *cap.* 4. v. 24. *cap.* 10. v. 4. 9. *Act.* 10. v. 43. 1. *Cor.* 1. v. 30 *Act.* 4. v. 12.

XXXIX. *Causam Formalem* justificationis indigitat Apostolus *Rom.* 3. v. 24. 25. verbis istis: *Per remissionem præcedentium delictorum*: h. e. non modò eorũ quæ hodiè committiuntur, sed eorũ etiã, quæ ab initiò sunt perpetrata.

XXXIX. Non ergò Essentialis nobis inhabitans DEI justitia, *cum Osiandrò*, nec inhærens justitiæ habitus, seu donum renovationis & charitatis *cum Pontificiis*; sed gratuita peccatorum remissio, & justitiæ per CHRISTVM partæ imputatio, vel imputatio fidei ad justitiam (hæc enim idem notant) formalis justificationis causa statuitur. Confer alia Scripturæ testi-

timonia *Luc.* 1. v. 17. *cap.* 13. v. 13. *Act.* 13. v. 38. *Rom.* 4. v. 5. *cap.* 5. v. 9.

XL. Circa Imputationis vocabulum notetur, Apostolum *duplicem ejus modum* facere: *unum secundùm debitum*, cujus fundamentum est in ipsò operante, cui fit imputatio *Rom.* 4. v. 4. quem solum, contra textum Apostolicum urgent Jesuitæ: *alterum* secũdùm *gratiam*, cujus fundamentum est in DEI imputantis misericordiâ; *Rom.* 4. v. 5. quem negant Pontificii. Nos verò imputationem illam, quæ fit non secundùm debitum, sed ex gratiâ, hîc locum habere demonstramus disertis Apostoli verbis, quæ leguntur *Rom.* 4. v. 10. 11. inde sic argumentamur: Quomodò CHRISTVS factꝰ est pro nobis peccatum, ita nos in ipso & per ipsum efficimur justitia DEI 2. *Cor.* v. *ult.* At CHRISTVS est factꝰ pro nobis peccatum per imputationem *Esa.* 53. v. 6. *Luc.* 22. v. 37. *Ioh.* 1. v. 29. 2. *Cor.* 3. *ult.* *Gal.* 3. v. 13. 1. *Pet.* 2. v. 24. Ergò & nos per imputationẽ in

CHRI-

CHRISTO, & per CHRISTUM efficimur justitia DEI.

XLI. Sed & *quid justitia DEI, item justitia fidei* vocibus, quæ in dictô nostrô, & aliàs in doctrinâ Justificationis frequenter occurrunt, significetur, indagemus. *Justitiæ* vox in scripturâ Canonicâ 1. *Legaliter* accipitur, quoties absolutè ponitur, & tunc vel opera cum normâ justitiæ divinæ in lege expressa, congruentia, *Lev.* 19. v. 15. 19. *Ps.* 15. v. 2. vel justitiam politicam significat *Gen.* 30. v. 33. *Ps.* 17. v. 1. 2. *Evangelicè*, quoties de justificationis ratione agitur, & tunc non justitia DEI, quâ in se justus est, nec quâ vel justè facta probat & remuneratur, vel injustè facta damnat, & punit; sed peculiari scripturæ sacræ ἰδιολογῶ DEI bonitas & misericordia intelligitur, *Psal.* 51. v. 16. *Psal.* 69. v. 28. *Psal.* 71. v. 2. *Psal.* 143. v. 1. *Rom.* 1. v. 16. 17. *cap.* 3. 21. *Fidei justitia* non est illa, quæ justis inhæret, sed quæ per fidem imputatur; non enim in nobis, sed extra

extra nos, in meritô scilicet obedientiæ, passionis, mortis, & resurrectionis CHRISTI fundamentum suum habet, *Rom.* 3. v. 24.

XLII. Tandem *Causæ finalis* consideratio finem præsenti dissertationi imponat: Ea verô *duplex* statuitur: 1. *Respectu DEI*, ipsius gloria, seu gloriæ ostensio *Rom.* 3. v. 25. 26. *cap.* 8. v. 1. 2. *Respectu hominum* justificatorum Salus & Vita æterna *Rom.* 1. v. 16. *cap.* 3. v. 25. *cap.* 6. v. 22. *Tob.* 3. v. 16. *Tit.* 3. v. 7. 1. *Petr.* 1. v. 6.

COROLLARIUM.

Q. An in hac propositione: *Fides sola justificat*: particula, *sola*, sit exclusiva *subjecti*, vel *prædicati*? In divortia sententiarum hic abeunt Theologi, & respondent alij, *non esse exclusivam subjecti*, quia non separat aut excludit alias virtutes à coëxistentiâ cum fide Matth. 5. v. 16. c. 7. v. 17. Gal. 5. v. 6. Jacob. 4. v. 17. sed *prædicati*, hôc nimirum sensu, *quod justificet sola*, quasi dicatur: *Fides est unicum illud organon apprehendens justitiam Christi*: Rom. 4. v. 2. 3. 4. & seqq. Gal. 2. v. 16. &c. Qui *partim* verum dicunt, *partim* falsum. *Verum est* illud, quod particula, *sola*, non separet aut excludat alias virtutes à coëxistentiâ cum fide, & quod illa solum & unicum sit organon apprehensivum justitiæ: *Falsum autem est*, quod asseritur, particulam, *sola*, non esse exclu-

sivam

tivam *subjecti*, sed solius *prædicati*. Sic enim infero:

1. *Exclusiva subjecti est, quæ excludit alia subjecta à participatione ejusdem prædicati.*

At particula, Sola, in hac prædicatione; Fides sola justificat; excludit omnia alia subjecta (quæ sc. in actu justificationis fidei sunt opposita) h. e. *omnes alias virtutes & bona opera à participatione prædicati, quod non possint concurrere ad justificationem.*

Ergo revera exclusiva subjecti est.

2. *Exclusiva prædicati est, quæ excludit alia prædicata ab eodem subjecto.*

Atqui particula, sola, non excludit omnia alia prædicata à fide, aliàs sequeretur, quod solùm justificet, & nihil aliud præstet fides, quod falsum est: siquidem & per charitatem illa efficax est, & proximo succurrit. Gal. 5. v. 6. & Heb. 11. per totum.

Ergo.

Breviter: Particula, *sola*, in hac prædicatione: *Fides sola justificat*: dicitur exclusiva subjecti, vel quod excludat alia subjecta (*fidei sc. in actu justificationis oppositæ*, qualia sunt bona opera) à participatione prædicati, sive à cooperatione fidei in actu justificationis, & sic *vera* est *propositio ista*: *vel* quod excludat alia subjecta, i. e. virtutes & bona opera, à coëxistentiâ cum fide, *hôc nimirum sensu, quod fides sola i. e. solitaria, sine bonis operibus existens, justificet*: Et sic propositionem istam simpliciter repudiamus, ut *falsam*. Ex his facilè judicium fieri potest de sequenti syllogismo Pontificiorum:

Fides a dilectione separata non justificat, Jacob. 2. v. 17.

Fides sola est à dilectione separata.

Ergo fides sola non justificat.

FINIS.

209.